

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

el Allegio de la comp<sup>a</sup> de l'ys<sup>e</sup> d<sup>r</sup> N. 10 894  
1892

# Nicolai Biesij Ganda

VENSIS DE REPUBLICA LIBRI

QVATVOR, QVIBVS VNIVERSA DE  
moribus Philosophia continetur.

*Ad*

Illustriſ. & Reuerendiſ. Dominum, D.  
Antonium Perrenotum, Episcopum Atre-  
batensem, &c.



ANTVERPIAE

Apud Martinum Nutium sub Ciconijs.  
Anno Salutis. M. D. LVI.

Cum priuilegio Cæfaris.



Ex Allegro de la comp. d'Appy & de la N. 1089

# Nicolai Biesij Ganda

VENSI DE REPUBLICA LIBRI

QVATVOR, QVIBVS VNIVERSA DE  
moribus Philosophia continetur.

Ad

Illustriſ. & Reuerendis. Dominum, D.  
Antonium Perrenotum, Episcopum Atre-  
batensem, &c.



ANTVERPIAE

Apud Martinum Nutium sub Ciconijs.  
Anno Salutis. M. D. L VI.

Cum priuilegio Cæfaris.



MARTINVS NVTIVS LECTORI.



Vàm sit officium nostrum cum publica studiosorum atq; honorum omnium utilitate coniunctu, hu manisime Lector, qui aliquid mentis habet, facile cognoscit, cùm dubium esse nequeat, quin temeritas plenæ sint res omnes humanæ sine doctrina, cui librorum commoditas, quam nos exhibemus, optimè seruit. Quoniam igitur hoc officio meo recte fungi cupio, et quantum possum in publicum usum conferre, diligentia omnem adhibendam mihi puto, in eorum virorum scriptis excudēdis, quibus videntur studiosi maximè posse iuuari, inter quæ visa sunt alijs à me debere præferri ea quæ nondū publican lucem viderunt, ac sine opera nostra facile non sunt in apertum studiorum conspectum ventura. Ita factum est, vt corum amicitiam semper diligentissimè captarim, quorum ingenia Reip. maximum fructum videbātur allatura. Cùm itaq; mihi fuerit vetus amicitia cum Nicolao Bieslo Gandauensi, postquā eius nō paucos legisem libros, quibus meo et multorum eruditorum iudicio, possint studia literarum promoueri, obnixé rogaui, vt eos pateretur à me publicari, qui quanquam diu multumq; restiterit, quod in ijs diceret suis desiderijs adhuc minimè satisfactum, tandem continuis nostris precibus victus, inter alios, hosce quatuor de Rep. libros cōcessit, quibus aiebat fortunā iustum suum ornatū et extremā manū denegasse, quod alijs necessarijs studijs distractus, ad hāc pulcherrimā intelligendi partē, quā iam diu reliquisset, deinceps redire nō posset. Ita ferme nunc cum magno nostro, imò vero totius Reip. malo, fieri solet, vt illi quibus est animus ad promouendā cōmunem utilitatē paratus, impediatur, quo minus honestissimi sui voti cōpotes fiant. Tantū enim omnī hominū scelus est, vt digni nō simus, qui aliquid præclarū in rebus humanis videamus, quod tamen frequenter videremus, si viris eruditis, qui soli sciunt, quomodo res omnes cum priuata tū publica bene cōstitui beneq; cōstitutæ cōseruari velint, debitus ex hiberetur honos. Hoc sane præcipua causa videtur, cur pañim solidā doctrinā contēni patiatur Deus, quod dū eā homines negligunt, de se tanquā iustas scelerū poenas sumūt. Nā fieri nequit quin illa Res p. plurimis obnoxia sit calamitatibus, in qua viri docti præcium suum non habent, sed destituuntur ijs, quibus ad prouehendam communem felicitatem est opus. Verū harum et aliarum præclarissimarū rerum causas, optime Lector, ex his libris facile cognoscet, quos si qua spero leges humanitate, dabis animū ad alia multa, quæ nihil aliud q; tuā benevolentia expectat. Vale.

# Index eorum quæ præcipua sunt in in hoc libro: numerus prior designat folia, alter lineas, a paginam priorem, b alteram.

<b>A</b> Cito judicialis.	Fo.45.b.lin.8	Benevolentia.	52.a.14
Adiumenta & impedimenta virtutum Bonorum genera.	11.a.16		
& vitiorum sunt consideranda. 23.a.5		Bonum quid.	9.a.13
Aer quid possit.	12.a.17	Bonum perfectum.	60.b.6
Aediles curules.	89.a.17	Bonum aut malum apparet nos mo-	
Aequabilitas omniū hominū.	38.a.15	uet.	14.b.15
Aerarij publici cura.	79.b.8	Bonum est omniū rerū finis.	4.b.32
Affectus quomodo impediatur.	27.a.27	C Alor instrumentum fortitudinis.	
Alimenti quotidiani cura.	89.a.6		
Amicitia.	50.b.30	Cantus quales esse debeat.	69.a.7
Amicitia tattū inter viros bonos.	52.a.19	Censores.	47.b.15 & 89.b.13
Amicitia requirit analogiam Geometriæ Ceremoniæ.	67.a.19		
amicus amicum sibi præfert.	51.b.30	Charæteres quid possint.	42.a.11
Amor.	51.a.5	Charitas.	62.b.6
Analogia Geometrica seruat in iusti virtutem.		Circumstantiae quæ augent aut minuit	
Analoga distributiva.	39.a.16	iusta distributiva.	28.b.5
Angeli quomodo nobis vtiles.	65.a.14	Ciuis quis.	3.b.19
Animus humanus habet potestatem in	4.a.32	Angeli quomodo nobis vtiles.	65.a.14
naturam humanam.	25.b.22	Ciues diligenter exerceri debent ad	
Animus & corpus exercendum ad pugnare.		omnem virtutem.	13.a.6
Appetentia vnde fiat.	85.a.13	Ciuitas quid.	3.b.21
Aristocracia quomodo cōstituta.	6.a.17	Ciuitates munitæ.	76.b.22
Artes quomodo cōparentur.	56.b.1	Ciuitatis duæ præcipuae partes.	94.a.7
Artes quæ præferenda.	56.b.21	Ciuitatum differentiæ.	66.a.29
Artes quoque discendæ.	57.a.5	Ciuium differentiæ.	82.a.8
Auaritia.	15.a.18	Cognitione opus est res gerendas.	
Auari quomodo regendi.	50.b.13	Cognitione opus est in contractibus.	
Auri præstantia.	78.a.12	Coloniæ antiquis temporibus deductæ.	
Auxiliū ferendi ratio.	38.b.20	Colonizæ antiquis temporibus deductæ.	
B Ellum.	93.b.4	Conatus meretur appellationem virtutis.	
Bellū quomodo iustum sit.	98.b.18	Conatus meretur appellationem virtutis.	
Belli finis.	93.b.26	Conatus meretur appellationem virtutis.	18.a.29
Bello fortitudinem exercemus.	99.a.5	Conceptæ vires, concipientis naturam.	
Bello optimi viri interdum vuntur.	93.b.24	Imitantur.	29.b.8
Conciones.	70.a.17	Conciones.	
Bellū virtutis causa suscipiēdū.	98.a.30	Conciones quid debeat continere.	
Beneficia quomodo cōp̄fertur.	40.a.10	Conciones quid debeat continere.	
Beneficium estimatur ab eo qui accipit.		Conciones quid debeat continere.	
Cōtinens quomodo quis fiat.	84.b.22	Conciones quid debeat continere.	
Conſi-		Conſilium.	20.b.8

## I N D E X.

Conſilium summum adhibendum in	60.a.17		
creandis magistratibus.	87.b.10	Formulæ iuris.	44.b.2
Conſtituio.	20.b.13	Fortis quomodo quis fit.	30.b.1
Confuctudo facit opera virtutis faci- Fortuna quid.			82.a.23
lia.		Frequētiora peccata acerbius puniēda	
Contractus de futuro cōſensu nullus.	48.a.8		
Genera virtutum.	29.a.16		
Contractuum finis est bonum.	39.a.26	H Abitus boni & mali.	20.a.21
Contractuum materia.	43.a.9	Habitus acquisiti noſtras actio-	
Contractuum efficiens cauſa.	41.a.1	nes meliores aut deteriores reddūt.	
Corporis cauſa.	11.a.22	26.a.16	
Corpora qualia debeant esse.	11.b.14	Hæreditates conſeruandæ.	79.a.16
Corpora.	65.a.18	Homo medium.	61.a.3
Cunctatio in bello.	97.b.5	Homines imperat dēmonib.	42.b.16
Efectui & excessui proſpicendi Honor quid fit.			35.b.8
D	74.a.14	Honor mensurandus ſpatio quo pre-	
Defectus ſolus bonum non meretur.		ſtantior aliun ſuperat.	36.b.2
	39.b.30	Honorem an quis debeat ſequi.	36.a.15
Defectus excessibus ſupplētur.	39.b.21	Honoris compensatio.	36.b.14
Dæmones quomodo verbis cogantur		Honoris violatio maximum malum.	
	42.a.15	42.a.15	
Deus omnium bonorum finis.	34.b.19	Magines & actiōes ī rēplis.	68.b.10
Deus quomodo crescat in nobis.	35.a.1	I Imperiū principis diuerſum ab im-	
Dies pīſculenti.		perio domini.	43.b.32
Diligentia vis in omnib.	cadē.26	b.31 Infamia quantum fit malum.	36.b.32
Draco continentiam maximè ſpecta-		Infamia magnitudo quomodo cognobat.	
Infamia authores cōſiderandi.	37.a.7	13.a.24	
Diuersoria.	89.a.32	ſcatur.	38.a.19
Diuino auxilio quomodo nobis fit		Inſtrumenta fiunt actionibus efficien-	
opus.	64.b.6	ti ſimilia.	10.a.6
Diuitium & pauperū officium.	82.b.23	Intemperantiae remedium.	32.a.19
Dorius tonus.	69.a.28	Inuidi.	15.a.25
Duces quales.	94.a.23	Ira ad fortitudinem conduit.	30.a.19
E Cœlaſtaſti.	99.a.3	Iudices rerum ciuilium.	90.a.15
Educatio.	12.a.5	Iudices criminales.	90.a.2
Effeſtum idem quod finis.	5.a.6	Iuris ciuilis vis.	45.a.26
Efficiēs cū fine cōuenire debet.	41.a.7	Ius quid.	102.b.26
Elementa.	65.b.20	Ius naturæ.	103.a.1
Externa.	64.a.26	Ius gentium.	ibidem
Externa facile aſtimantur.	40.	Ius ciuile.	103.a.14
Externa mala arcenda.	72.b.19	Ius diuinum.	103.a.30
Externarum mercuriū vſus.	7.a.33	Infatia.	33.b.22
F Abri publici.	89.a.1	Iuſtitia communis nunquam violanda.	
Falsitas in quo ſit.	17.b.26	40.a.25.	
Felicitas quid.	59.b.32	Iuſtitia commutativa proportionem	
Fides.	62.a.23	Arithmetican requirit.	37.a.19
Finem ſuum omnia conſequi poſſunt.		Iuſtitia diuſtributiva.	33.b.25
		* 3 Iuſtitia	

## I N D E X.

Iustitia distributiva personarum & re-	Mathematicæ necessariæ ad bellum
rum dignitatem vult considerari.	95.b.32
34.a.7	Medici publici. 89.b.6
Iustitia gratia non flebitur.	49.a.6 Medij motus qui sint inter necessita-
Iustitia requirit bonorum omnium co-	tem, & pura liberá potestatē. 22.b.24
gnitionem.	34.a.4 Mensæ familiae q; constituendus mo-
L Atrocina diligenter impedienda.	dus. 74.a.27
L 72.a.6	Metallorum mixtura. 80.a.15
Laudabile quid.	66.b.17 Milites ad arcendas externas iniurias.
Leges.	102.b.17 76.b.19
Leges duplices.	6.a.8 & 103.b.16 Milites probi sint. 94.b.32
Leges ciuiles nō sunt æternæ. 109.a.12 Milites oportet vt p̄j sint. 95.b.9	
Leges non agnoscunt personarū dñi.	Milites sagaces sint. 94.a.21
men.	39.a.13 Milites exercitati sint. 95.b.23
Leges seruandæ à magistratibus.	Milites voluntarij. 96.a.26
86.b.8	Milites perpetui alendi. 97.a.26
Leges omnes debent esse concordes.	Militum corpora. 96.b.22
104.a.3	Misericordia Dei turissimum refugiū.
Leges sint faciles.	105.b.24 27.b.30
Leges communes.	106.b.26 Moderatis elegantij vti licet. 76.a.12
Leges diuinæ certissimæ.	107.a.16 Monarchia quomodo cōstituta. 6.a.24
Leges sint firmæ.	107.b.3 Monarchia reliquis præstatiō. 6.a.25
Liberalitas.	50.a.14 Monarcha an facile ab utilitate com-
Liberae potestatis solius motus ab effe-	muni abducatur. 8.a.5
to suā estimationem habent. 22.a.8 Monarcha facilius in officio suo ver-	
Libertas perfecta.	17.b.33 fatur. 7.b.2
Liberi debet esse qui cōtrahūt.	45.a.12 Monastica vita. 99.b.33
Liberum arbitrium est actu.	17.a.16 Motus ab externa specie boni vel mali
Licet aliquid quod nō oportet.	49.b.32 14.a.7
Licurgus fortitudinem maximè spe-	Motus primus animorum est in verita-
tabat.	21.b.5
Lydus tonus.	13.a.21 tem. 69.a.32 Motus secundum Platonicos signifi-
Lingua instrumētum infamia.	37.b.18 cat omnem energiam. 17.b.3
Ludicra quomodo exercenda.	67.b.29 Motus primi naturales. 14.a.5
M Agistratum, rerum & ingeniorū Mutationes Rerumpub.	109.b.16
oportet esse peritum.	13.b.1
Magistratus Reip. medicus.	N Atura & consuetudo facit, vt spe
Magistratus cur raro boni.	47.a.21 cies boni & mali non obtineat
Magistratus quid faciendū.	86.b.16 parem vim. 24.a.27
Magistratus quid faciendū.	87.a.14 Natura debilitata. 66.a.20
Magistratus nō tantū malos punire.	Negligentia est causa multorum ma-
fēd & bonos laudare debent.	lorum. 14.a.18
Magistratus mali cur potius eligan-	Negligentia peccatum. 26.b.1
tur.	88.a.21 Negotiorum eidēntia multū potest-
Magistratus non omnes pares.	88.b.23 44.b.11
Magnificentia.	50.b.22 Nobilitas vera. 85.a.17
Malum cum bono vel mali consenti-	Nummi. 77.a.25
re nequit.	4.a.22 Nummorū & merciū analogia. 80.a.8
	Nummo-

## I N D E X.

Nummorum analogia.	80.a.22 tur. 108.b.19
Nutrices.	12.a.12 Poenitentia ad curationem peccati ne-
O Bligatio.	4.a.33 cessaria. 21.a.20
Obligationes duplices.	40.b.2 Præmium aut poenam meremur ab ijs
Officia q; multa debeant esse.	90.b.8 quæ sunt in nostra potestate. 16.b.1
Officij publici vis.	85.b.24 Princeps summus qualis. 91.a.19
Officiorum pub. differentia.	85.b.20 Princeps est legis exemplar. 91.b.16
Officiorū publicorū modus.	10.b.4 Princeps publicam utilitatem spectat.
Opera qualia debeant esse in ciuitate.	91.b.21
	Princeps requirit potestatem. 91.b.28
Optima sunt quæ sunt in ciuitate, & ijs Princeps an ad clementiam debeat es-	
optimè vtamur.	73.b.32 se propensus. 92.a.9
Ordo quid.	3.b.22 Principatus cōstituendi triplex ratio.
Ordo constituit formam Reip.	4.a.4 6.b.3
Ordo quomodo seruetur à malis.	Principatus per successionem melior.
	4.b.26 6.b.13
Ordo in Ecclesia.	100.a.11 Principat⁹ à prouidētia diuina. 86.a.23
Otiosi nulli sint ciues.	72.b.1 Princeps sepe euerunt Resp. 110.a.31
P Acta.	38.a.12 Principis imperium. 43.b.31
Pacta cum dæmonibus.	41.b.1 Principis liberalitas. 92.a.21
Pacta tacita.	45.a.6 Principis humanitas. 92.a.32
Pactorum dissolutio.	45.b.32 Principijs malorum diligēter refisen
Parentes quales.	11.a.28 dum. 109.a.21
Patientia discenda à nativitate.	13.b.9 Principum differentia. 91.a.1
Pauperes liberaliter alendi.	83.b.33 Priuata publicis cedunt. 86.a.13
Pauperes peregrini quomodo tractari.	Priuilegia. 107.b.6
di.	84.a.26 Priuilegiorum origo. 108.a.23
Pauperum neglectus sumnum dede-	Prudentia. 54.a.26
cus est.	83.a.13 Prudens quomodo fiat quis. 54.b.29
Pauperum officium.	84.b.33 Prudentia perfecta. 55.b.17
Peccatum in quo sit.	21.a.8 Prudentia ab artibus differt. 56.a.9
Peccatum quid.	49.a.1 Prudentia quid. 56.a.14
Pecuniarum quis sit modus.	78.a.29 Publicus splendor. 76.a.5
Pecunijs quomodo vtendum.	85.a.6 Valis est quisq;, talis opera com-
Phrygius tonus.	69.b.1 penatio que requiritur. 38.a.12
Politia quomodo constituta.	5.b.21 Quæstores. 83.b.30
Populorū subiugādorū origo.	94.a.4 Atio non iudicat de ijs quæ natu-
Populus quid.	3.b.8 R aæ sunt superiora. 61.a.16
Possibile quid sit perpēdendū.	71.b.4 Reipublicæ cōstituendæ causa. 3.b.10
Potestas in quibus.	85.b.28 Reip. partes quæ multæ. 4.a.8
Potestas nulla ad vitium.	43.a.8 Reip. prima diuīsio. 4.b.25
Potestas publica.	85.b.16 Reip. cum anima cōparatio. 101.b.17
Potestas publica quatenus se extendit.	Rerum extēnarum abundantia suspe-
	cta. 110.a.9
Potestati summæ, summus honor con-	Rerumpub. species omnes possunt ef-
uenit.	se laudabiles. 8.b.26
Potestas priuata contra publica nō da-	Resp. vnde sit dicta. 2.b.6
	Resp.

I N D E X.

Respublica quid.	3.b.28	V Eritas quid.	21.b.7
Res alia nobilitate, alia necessitate sunt priores.	Veritas varia se demōstrat. 57.a.27 73.b.8 Veritas & bonitas summa. 58.b.1		
Altationes.	69.b.14 Veltium forma. 75.b.18		
Sanctis quomodo debeatur honor Veltium & supellectiliū cura. 89. a.25 35.b.13	Via publica quales. 72.a.23		
Sapientia.	57.b.16 Vinum solis lēnioribus liberè conce-		
Sapientia ducem requirit.	dit Plato. 13.b.24		
Sapientia tria requirit.	58.a.6 Virtus politica. 4.a.27		
Scenæ.	70.a.2 Virtus in mediocritate. 19.b.2		
Seditionum cause.	111.a.6 Virtus est maior quatenus difficilior		
Senatores.	90.b.1 & etiam yitum. 25.a.4		
Signa mutationum publicarum appa-	Virtus omnis definit in voluptatem.		
rent.	III.b.20 31.b.4		
Similitudo duplex.	51.b.17 Virtus una absque alia non est. 56.b.19		
Similitudo amicitiae effectrix.	52.b.21 Virtutē & virtia quatuor augēt. 24.b.19		
Species rerum animo continentur, in Virtutes morales comparantur actiones quas est primus libere potestatis num iteratione.	19.b.8 motus. 21.b.6 Virtutes ciuiles. 59.b.11		
Species perfectiores, & facilius ab Virtutes purgati animi.	59.b.17		
his quām ab alijs cōcipiūtur. 21.b.32	Virtutum fontes quos riuos mittant.		
Spes.	62.a.33 59.a.16		
Spiritus ætherei nobis seruit. 54.a.23	Virtutum & vitorum gradus. 21.a.19		
Subditis prēsens stat' molest'. 110.a.26	Vitia plura quām virtutes. 20.a.29		
Supellectiliū modus.	75.a.24 Volumus multa quā facere non pos-		
Superbi.	15.a.31 sumus. 23.b.8		
Supplicia.	46.a.20 Voluntas sola quid mereatur. 23.b.6		
Supplicia cum clementia.	46.a.27 Voluntates humanæ sunt artifices.		
Suppliciorū inferendorū ratio. 48.b.8	37.b.18		
T Abernat tantum necessariae sint. Voluntas quām magna sit ostendunt 74. b.8 instrumenta. 25.b.6			
Tactu linguaq; percepta maximē nos Voluntas legibus humanis cogi ne-			
mouent, & à rebus diuinis longissi qui. 39.b.15			
mē nos abducunt. 14.b.23 Voluntatis indicia. 44.a.25			
Tēporū & locorū oportunitas. 67.a. 4 Voluntas, spes, aegritudo, metus. 14.b.7			
Templa.	67.b.2 Voluptatem sine virtute sequitur do-		
Terra quomodo colenda.	66.a.1 Ior. 31.b.16		
Timor aduersatur fortitudini. 30.a.28 Vtile quid.	66.a.16		

Errata sic corrigito.

Fol.2.b.lin.13.aliqua. 9.b.14.alia. 27.b.17.reliquorum. 48. a. 2. præbet  
pro præbeat. 75.b.26.quām in ijs esse solent. 82.a.32.corum. 92.a.32  
scriptum. 95.b.29.dele eorum. 109.b.26.quæ.

AD ILLVSTRISSIMVM  
ET REVERENDISS. DOMINVM  
D. ANTONIVM PERRENOTVM, EPIS-  
copum Atrebatensem, Cæsareæ Ma-  
iestatis & rerum status primum  
Confiliarium, sigillorumq;  
custodem, de Repub.  
Lib. IIII.

Nicolao Biefio Gandauensi Authore.



Vanquam studiosis video semper  
ab omnibus suis concessum, il-  
lustriss. Præfūl, vt omni cona-  
tu sibi benevolentiam & patroci-  
nium eorum virorum concilient,  
in quorū virtutibus totam spem  
salutis & dignitatis suæ positam  
habent, tua tamē amplitudo sum-  
ma me deterruit hactenus, vt ego, qui nihil magis optarē,  
in conspectum tuum venire non auderem. Nam dum cer-  
nerē cum reliquis innumeris & maximis ornamentiis tuis  
coniunctam tantam quoq; prudentiam & eruditionem,  
quantam ad Remp. rectē gubernandam tempora nostra  
nō mediocriter requirunt, facile intelligebā cum ijs nihil  
omnino, nisi quod numeris omnibus absolutum esset,  
bene conuenire posse: cūm autem cogitationem ad me  
subinde conuerterem, dolebam esse multō-minorem hanc  
industriam & eruditionem meam, quām vt eam possit  
summa tua sapientia & authoritas non contemnere. Ve-  
rūm cūm omnia diligenter circumspicerem, & cernerem  
in amplis familijs etiam deterioris conditionis homines,

A qui,

## LIBER PRIMVS.

qui, licet abiectionem, saltem aliquam operam prestant, & dum alijs adiumento sunt, qui in officijs præstatiōribus versantur, ipsi diligentia sua conditionē assiduo meliore comiserentur: nec in studijs planè rei jci debere, qui locum aliquem inferiorē tenent, nec etiam eos reprehendēdos esse putabam, qui modis omnibus ad aliquem superiorem aspirant. Per gradus enim multos ad insignem aliquam eruditionis laudem continuo nobis ascendendum est, & sapientiē difficultas vehementiorem illum animorum impetum facile moderatur, licet alijs periculis non retardetur, & amor etiam alicuius ordinis primi facit, ut non teneamus postremū. Ad res magnas conficiendas semper magnis animorum motibus opus est, qui cùm ad virtutem tendunt, quod quidem his perditissimis temporibus rarissimē contingit, non modō non impediri, sed, si vñquam, nunc certe diligentissimē prouehi debent, ab illis præcipue, qui tenent inter alios omnes principatū. Nam quēadmodum in malis negotijs confidentia nihil deterius est, ita nec in bonis quicquam perniciosius est desperatione: qua tamē inter tantas difficultates nos opprimi necessarium erit, nisi magnorū virorum ope subleuemur & sustētemur. Quapropter, tamē si nos quod cupimus non adsequamur, in his rebus præclarissimis vel solum conatum, apud te tuique similes sapientissimos & optimos viros, laudem suam aliquam, potius quam reprehensionem, consecuturum esse speramus. In rebus enim arduis tam multa tamq; magna nobis impedimentoa sunt, quō minus voti nostri compotes reddamur, vt ea cuncta nulli fuerint vñquam bene perspecta, & si bene perspecta sint, vel generosissima quidem ingenia facile deterrere possint. Omitto nunc quōd plārique tam infelices natura sunt, vt, licet animum summa quadam diligentia colant, vix dum aliquid mentione dignum metant: debuit enim fortasse quisque cognoscere,

## DE REPVB.

cognouisse, suum solum quibus maximē fructibus accommodatum sit, & an spes lucri maior sit laboribus & impensis: omitto etiam quōd multis externis adiumentis rerum bene gerendarum plurimi destituuntur: nam nec illud ignorare decebat, quibüs rebus vñumquodque confici debeat & possit, verūm quanquam adhinc nobis hæc omnia, frequenter ingruunt tempestates improuise, quæ vel optimos fructus miserrimē perdant, priusquam bene maturescere possint. Ita non solum rarus bonorum ingeniorum prouentus est, sed si quis est interdum, ferme desunt illa, quibus aliquid præclarum & eximum fiat. Et etiamsi iam hoc conceptum sit, efformatum & in lucem editum, tam magnis tamque varijs casibus obnoxium est, vt, nisi fortunam habuerit admodum aspirantem, aduersus eos omnes dignitatem suam nequeat vlo modo tueri. Certe magnorum & immortaliū ingeniorum opifex ille genius rarissimum quendam & insignem admodum ætheris confluxum requirit, qui beneficam illam suam vim, per innumeros studiosorum animos in ipsam æternitatem extendat. Nunc autem, cùm secundum Platonem, nullus liber sine vitio sit, & tempus, vt inquit Eupides, in lucem continuo veritatem exponat, omnes defectus tandem detegit, qui semper etiam ferme plures maioresque sunt, & facilius cognoscuntur quam virtutes. Hinc est igitur maximē, quōd paucissimi quidam scriptores immortalitatem, nec etiam multi longam sint vitam consecuti, & inter eos vix unus aut alter sit, in quo non à multis multa desiderentur. Hinc est etiam quōd illi, qui paulò diligentius dubios & anticipates harum difficultiarum rerum euentus considerant, huic grauissimo periculo se committere tam vehementer pertinescant. Nam etiamsi viri boni vitia dissimulanda

A 2 putent,

## LIBER PRIMVS.

putent, si fuerint cum alijs virtutibus coniuncta, ipsi tandem interim ea non ignorant, & mali diligentissime captant ansas omnes calumniandi. Profectò longè difficultatum est, acerrimum doctorum omnium iudicium, perpetuamq; maledicorum hominum reprehensionem & contumeliam subire. His igitur & alijs plurimis maximisque difficultatibus deterriti viri studiosi, nunquam in publicum proferre quicquā auderent, si voluntatē promouēdæ cōmuniſtatis à claris viris reprehendi posse putarent: nūc autē cùm desideriū honestū à bonis omnibus semper fuerit laudatum, nullis molestijs impediri nos decet, sed quātò res magis arduæ sunt, tanto maiore potius diligentia adhibere, vt aliquid in vīs cōmunes edamus: & oportet nos etiam ad eorū defensionem, opem bonorū omniū, eorum præcipue qui tenent inter alios omnes summā autoritatē, audacter efflagitare. Idem autē scriptoribus accidere video, quod illis vīs venire solet, qui filios procreant: vt nihil scilicet vñquam omittant, quo vitam eorum quām optimē diutissimeq; tueantur, & eos omnibus bonis instructissimos reddant. Nam, vt est apud Platonem, animorum liberi, quām corporum, sunt parentibus suis multò chariores. Certè si bene nati fuerint atque formati, longè nobiliores sunt, veriusq; parentū suorū effigie referrunt, latiū in plurima temporū & locorum spatio similitudinem eorum extendunt, & etiam maioribus laboribus gignūtur & sustentantur: quæ res omnes singularem quendam amorem conciliare solent. Cùm igitur animorum isti liberi varijs casibus & iniurijs obnoxij sint, potenteribus amicis mitti solent, quò tutiū maioreq; cum gloria viuant: quod à me quoque faciendum esse putaui: cui nimirum, contra certas multorū accusationes, eximio quodam patrocinio sit opus. Nam omitto, quòd homines plæriq; tam à recto iudicio nunc sunt alieni, vt pulcherri-

mum.

## DE REPVB.

3

mum hoc Philosophiae studium planè vituperent: isti enim, cum eo solo, quod sapientia cōtemptores sint, se stolidissimos esse profiteantur, à nobis facile contemni possunt: illi qui verè docti sunt, quorum iudicium est plurimi faciendum, ad hanc præclarissimam & utileissimā intelligendi partem explicandam, aliam eloquentiam & erudititionem desiderabunt: apud quos authoritas tua plurimum sanè valebit: vt, si tu conatus nostros & qui bonique consulueris, idem sibi quoq; faciendum esse putent. Freatus igitur humanitate & authoritate tua, Præful illustrissime, & benevolentia clarissimorum fratrum tuorum D. Caroli & D. Federici Perrenoti, quos propter ornamen-ta summa vehemēter omnes admirantur, & tu meritò plurimum amas, non sum veritus, in rebus grauissimis te mei studij sapientissimum & optimum iudicem eligere, vt si spem aliquam dederis, alacriter in reliquo cursu meo pergam, si verò consilium meum non probaueris, saltē desiderij non inhonesti veniam ab humanitate tua expectem, eorum fauore confirmatus, quos iam nominaui, semperq; sum honoris causa nominaturus. Cùm igitur aliquando nonnulla scripserim de optimē cōstituta Repub. cuius cognitio plurimum ad omnem nostrā felicitatem conduit, ea tibi mittere volui, qui vt in alijs rebus omnibus præclaris, ita in hoc intelligendi agendiq; genere præcipue versaris, & si digna iudicaueris quæ legantur, solo nomine tuo nostris scriptis plurimum authoritatis es allatus. Quapropter, tuo præsidio iam adiutus, ipsam aggredior Repub. considerationem.

IN hac tam multiplici maximarum rerum serie, nos Operis cum tenebimus modum, vt postquam initio Reip. natu-  
ram & in quām multa genera diuisa sit, breuiter ostendimus, explicemus latissimè, quid in omnibus eius membris præcipue requiramus, postea verò diuersa quid pro-

A 3 prium

## LIBER PRIMVS.

prium habere debeant, consideremus, & postremo loco quales deceat esse leges, quibus omnes Reipubl. partes sunt tanquam in vnum corpus arctissime deuincta, & quomodo Respub. mutantur & intereant paucis adiungamus. Ut igitur auspicer orationem ab eo quod primum in hanc considerationem venit, Resp. quod populi rem, hoc est, conditionem, utilitatem & statum contineat, sic appellata videtur. Populus autem dicitur hominum cœtus, iuris communicatione sociatus, in quo singuli cōmūnem felicitatem sibi proponunt. Cūm enim multis rebus homines egerēt, quas seorsum quisq; sibi comparare non posset, in vnum locum multi conuenerunt, vt sibi mutuo vītē subsidium ferrent, & etiam imminentes iniurias communibus viribus propulsarent. Ita boni cōsequendi, malis; vitādi causa locis etiam sunt inter se coniuncti: nam alioqui mutuum auxiliū commode sibi ferre nō possent. Quatenus autem singuli possunt omnibus inferiure, ac in iudicijs & consilijs aliquam autoritatē obtinere, quemadmodum Aristoteli placet, ciuius nomen habet, à quibus omnibus sic inter se coniunctis ciuitas vocatur: quam definit Aristoteles, ciuium iustum multitudinem collectam ad ea facilius comparanda, quæ requirūtur ad vitam. Eam tamen idem cōmunem quādam inter ciues vītē rationem esse dicit, & hanc etiam eandem interdum politiam appellat. Res enim sāpē tam cognatae sunt, vt cōmūnibus vocabulis possint explicari. Verū de nominibus contentio suscipienda non est, modō rerū propositarū naturam intellegamus. Nos autem propriè definimus Remp. quemadmodum & Aristoteles, ordinem quendam ciuium, presertim in ijs, quæ summam obtinent ad salutem cōmūnem potestatem. Obtinet autem summam potestatem ratio constituendi conseruandiq; principatus. Ordinem autem appellamus, quo quisq; suum dignitatis & officij locum tenet.

## DE REPVB.

net. Is igitur cūm ex multis & diuersis vnum faciat, vel potius in multis sit, pulcherrima quadā analogia inter se coniunctis, merito diuinum quipiam haberī debet, à quo, ve luti reliquorū omniū, ita Reip. quoq; forma constituatur & cōseruetur. Quod nīf partē omnes in pulcherrimam quandam figuram conueniant, potius monstrōsum quipiam exorietur, quod non perueniat ad finē à natura destinatum. Quād multe verò partes ad constituendā Remp. desiderentur in vniuersum definiri nequit. Hic enim plures admittit, alibi verò paucioribus est contenta. Nunquā tamen tam magna sit, vt se sustinere nequeat, nec tam exigua sit, vt necessarijs præsidijs destituatur. Videmus autē ingentes Resp. frequēter suo pondere miserrimē corrūsse, & minimas qualq; prædam potentiorū continuo fuisse. Sunt autem certi limites & hic & alibi semper à natura constituti, intra quos exacta mediocritas summā obtinet dignitatem. Quod si infra mediocritatem necessariò consistendū est, saltem Resp. tanta sit, quanta sibi sufficere potest. Talis enim eius constituendē fuerat propositus finis, ad quem singuli ciues suis viribus & officijs contendant. Oportet enim, vt omnes sibi inuicem acriter auxilium ferant, & quādmodum ait Aristoteles, tanquam in eadem nauī, eundē felicitatis portum rectā petant, non quidem pariter omnes, nam alij sunt præstantioribus, alij inferioribus officijs prouehendæ communis salutis destinati, sed quilibet iuxta gradum & ordinē quem in ciuitate tenet. In eo nimirum est posita virtus illa, quam politicam appellant. Quanquā enim est vnu totius Reip. finis, illi tamen à quibus vult cōparari, diuersissimi sunt, & diuersissimis operationibus addicti: ita tamen vt quisq; præbeat suos peculiares vsus ad incolumitatem totius: adeo quidē, vt homines etiam mali boni quippiā viris bonis afferre possint. Certē nihil temerē fit in tota rerum omnium natura, nihilq;

## LIBER PRIMVS.

hilq; tam bonum hic est, vt non mali quippiam secum habeat admixtū. Sed haec, tametsi longē diuersissima, ita con temperari possunt, vt inter se non omnino malè coniungantur: non est igitur necessarium omnes esse viros optimos, quicunque sunt in ciuitate, sed vt saltē politicas virtutes habeant, & cuncta sint communibus & firmis rationis vinculis coniuncta. Hæc igitur de tota Rep. sufficient. Nam ex ijs quæ diximus, in vniuersum eius natura facile cognosci potest. Finis enim eius est huius vitæ communis felicitas, quam vt homines consequantur, voluntatibus in unum ita conspirant, vt officiorum arcta vicissitudine, ea sibi præsidia comparent, quibus melius & tutius viuant. Quanquam autem hæc officiorū vicissitudo, sum quendam ordinem & analogiam requirat, non tam exactis tamen constat numeris, quin multas compositionis differencias admittat. Quod etiam in reliquis omnibus rebus vsu venire videamus, vt variis excessus defectusq; ferat, modò sint intra limites à natura constitutos. Ita nullus homo homini similis est, sed omnes tamen referunt figuram humam. Nec singulæ tantum inter se Resp. differunt, sed etiā genere sunt diuersæ. Cùm itaque Reip. nomen interdum etiam malis hominum societatibus tribui videam, quatenus scilicet perniciose legibus vtūtetur, & ordine quodam tendunt ad illaudatum finem, hinc statim vniuersum genus in duas partes erit diuisum. Tametsi, cū ordo sit optimum quippiā, mirum videri potest, eum à perditis hominibus obseruari. Sed minus mirum videbitur, si rationes harum rerum diligenter examinemus. Finis autem, cùius gratia quevis negotia suscipiuntur, semper primus in confederatione venit: qui nisi fuerit initio bene constitutus, omnia plena sunt futura temeritatis, cū qua Resp. nequeunt conuenire. Finis autem omnium rerum necessariò bonum aliquod est, quo proposito, statim trahitur id quod aligit.

## DE REPVB.

quam efficiendi potestatem habet. Bonum est autem habere quem & hoc & illud & aliud quiduis agendi potestatem: sed malum est, quod ea potestate recte non vtatur. Quod quidem in ipsum suum authorem recidit, qui sibi ipsi deteriorē, sed vniuersitati conducibilem locum elegit. Effectum autem operationis illud ipsum est, quod antea fuerat propositū tanquam finis. In eo nimirum opere iam facto conquiescamus, quod antea tanquam finem actionum expetebamus. Adhuc igitur hæc omnia, nimirum finis, efficiens, effectumq; et etiam ea quibus hoc comparatur, bona sunt, nec est ullus malis rebus locus, et etiam si quis illis locus esset, cùm in defectu sint, nullā, nisi ad interestum, obtineret potestatem. Verū cùm varia bonorum genera sint, de quibus omnibus postea dicemus, varij posunt etiā proponi fines, inter quos unusquam alius plus habeat dignitatis, et in eo malum est, si pro maiore minus bonum, vt pro virtute corporis aliquam voluptatem eligamus. Non quod hæc sua natura mala sit, aut aliud quicquam in hac vniuersitate rerum: sed cùm homini plura proposta sint, ad quæ liberum motū habet, in eo malum est, si minus bonum sequatur, cùm maius cōsequi potuisse: et tamen ad illud comparandum accōmodatis instrumentis vti potest. Idem etiam in Rebus p. vsu venit, vt ordinem scilicet aliquem obseruent, in ijs quoque rebus, quibus aliae fuerant multò præstantiores. Imò tametsi plenè mala videantur effecta, & eorum efficientes causæ, veluti si quis hominem iugulet, aut pudicitiam eripiat virginis, nunq; tamē vitiatur facies vniuersi, sed omnia destinatum à prouidentia diuina locum in hac rerum natura tenent, ad quem etiam aptis quibusdam instrumentis deducuntur. Ita videmus homines etiam in rebus malis peragēdis ordine quodam & legibus gubernari: quarum vis in malo non est, quod quidem nullam potestatem, sed im-

B becilli-

## LIBER PRIMVS.

becillitatem tātūm affert, verūm potius ab aliquo bono, quod in ipsam vniuersitatem redundant. Malum itaque si quam potestatē habet, hoc fit propter bonum, quod se-cum habet adiunctum, & omnes homines atq; Resp. non tantū virtutibus, sed etiam vitijs suis totam Remp. hu-manam exornant, & in finem qui huic conductus conseruantur. Sed ex his ferē intelligi potest, quomodo malæ Resp. sint, & nos hic non has, quæ verē ne Reipub. no-men quidem merentur, sed bonas, & inter eas optimam quandam nobis potius describēdam proposuimus: quam vt inueniamus, nunc ad aliam magis propriam Reip. diui-nionem accedemus. Cūm itaque Resp. multorū hominum ordo sit, in eo necessario sunt alijs alij priores & posterio-res. Primi autem sunt illi, qui summā potestatē tenēt. Hæc vel vnius est vel pluriū, vel pariter omnium quicun-que sunt in ciuitate. Sic ex ipsa Reipub. natura differētias eius inueniemus. Cūm igitur ab initio ciues omnes totius Reip. pariter domini sint, diuersus diuersorum populo-rum consensus, ea de re, quæ maximū ad communem feli-citatem momentum habet, vniuersam Reipu. naturam in tria p̄cipua genera diuisit. Nam cūm sine ordine Resp. cōstare nequeat, et in quois ordine necessariō sint prior-es & posteriores, illi populi, qui inter suos magnū per-sonarum discrimen, neque agnoscerent neq; ferrent, quo-niam natura quandam æquabilitatem & communem li-bertatem affectarent, sic inter se cōuenerunt, vt omnes pa-riter omnē potestatē haberent, & eā tamen aptissimis ciui-bus, certis temporibus & locis cōmitterēt, qua isti qui re-bus publicis p̄fecti sunt reliquis, ex consensu populi, se-cundum leges & æquitatem imperarent, qui loquentis & operantis legis & æquitatis similitudinē gererent. Quan-quam enim lex anima dicitur & domina ciuitatis, pro-prium efficiēdi motum ipsa nullum habet, sed potius in-

*Reip. di  
uicio.*

strumen-

## DE REPVB.

6

strumentum quoddam rerum communium bene gerendarum est, quo peritus aliquis artifex vtatur. Omnes autē ciues, cūm singuli suis curis sint impediti, negotijs publi-cis occupari nequeunt, sed oportet vt qui reliquis sapientiores sunt, nec rebus domesticis prouidendis adeō distraeti, in communib⁹ cognoscendis & administrandis ver-sentur, quorum imperio legum potestas ad energiā & ad finem suum perducatur. Duplices igitur leges politæ sunt ex populi consensu, aliæ de magistratibus, aliæ de ijs quæ magistratum curæ sunt commissa. Leges autem non tantū in tabulis, sed etiā in animis hominū scriptas intelli-gi volo. Cūm verò in ordine ciuitatis principatus prior sit, & à prioribus omnia potius dignitatem & appellationem suam consequantur, non est mirum quod ab eius differen-tijs Resp. sint diuisæ. Hæc igitur Resp. de qua iā diximus, in qua omnes primam potestatē habent parem, à Græcis nomine generis politia vocatur. Sed alij populi, cūm vide-rent alios homines alijs esse meliores & sapientiores, qua-les desideramus ad Reipu. gubernationem, ijs potissimam authoritatē in rebus publicis administrandis reliquerunt, & illam politiæ speciem constituerunt, quam Aristocra-tiam appellant. Verūm qui diligentissimē rerum naturam considerarunt, intellexerunt multa non tantū in vnum cōuenire, sed etiam ab uno debere gubernari. Nam, vt in-quit Isocrates, multò se faciliūs accommodant ciues vnius viri, quām multorum hominum, institutis: et Aristoteles dicit, illud Reipu. genus eligi debere, ad quod ciues magis sunt accommodati. Cūm autem singulis ingenij & moribus singuli p̄rediti sint, & inferiores ad imitationem su-periorum, quos nimirum semper ante oculos habent, libentissimē ferantur, multorū principatus inter ciues mul-tas dissimilitudinis occasiones & difſidij exhibebit: mo-narchia verò p̄rebbebit maiores causas conſencionis, quæ

B 2 conſer-

## LIBER PRIMVS.

conseruatrix est tutissima ciuitatum. Verum non tantum subditos, sed potius principes consideremus: & inueniemus vnum esse multis multò præstantiorem. Triplex autem est ferme ratio constituendi principatus: alijs enim imperium ipsa fortuna tradit, ijs scilicet qui sortibus aut alijs casibus illud adsequuntur: at cæcam istam & temerariam dominam in tantis rebus locum habere non decet: alibi vero per electionem principes fiunt, & quanquam haec suas utilitates habet, ab iniusto fauore corrupti fermè solet, præsertim in ijs negotijs, quæ maximam vim ad impellendos in hanc aut in illam partem animos hominum tenet. Et etiam si fuerit electio incorrupta, potius eos assument principes, quorum maiores imperium recte gubernarunt. Nos certè tales ad optimè constitutam Remp. regendā accommodatissimos fore speramus. Nam filii parentibus similes esse solent, & à magnis causis effecta quoque magna prouenire: propter consensionem earum causarum & motuum, quibus peragitur omnis huius naturæ vicissitudo. Et hinc est quod nobilitas, quæ, vt inquit Aristoteles, nihil aliud quam generis virtus est, tantam apud omnes homines obtineat authoritatem: quam quidem plane contemnere, vel successionem in principatum admittere debemus. Verum non tantum quia natura transfert similitudinem à paréribus in filios, imperiorum successionem laudamus, sed etiam quia maiorem illi quoque curam eorum rerum gerunt, quas putat ad alienos possessores non esse peruenturas, & hi, quemadmodum scriptum est apud Herodotum, cum ad alia cuncta, tum etiam ad Reip. gubernationem melius instituuntur, cui sunt ab ipsa natura hominumq; iustissimo consensu destinati. Quantum autem & hic & alibi semper institutio valeat, satis à Philosophis demonstratum est, & quanquam per se manifestum, cognoscetur ex ijs, quæ dicemus postea suo loco. Sed de-

mus

## DE REP.V.B.

7

mus ea quæ iam diximus, tametsi longè diuersissima sunt, esse paria, quomodo cunque principatus, seu successione seu alijs modis acquiratur: tamen successio multò securiorem Reip. statum reddit. Nouos enim principes raro sine magno periculo, sèpè cum magna ciuitatum pernicie videmus esse creatos. Nam cum multis eadem est propria spes imperij, pro quo solo magni viri fidem esse frangendam putarunt, non potest frequenter Resp. periculisfissimis motibus non concuti, non potest perditissimis seditionibus non discerpi. His igitur & alijs rationibus persuasi, putamus esse multò melius, vt à bonis paréribus filii similes principatum consequantur. Nunc autem ostendamus esse quoque multò melius, vt unus in unius principis locum succedat. Vt igitur rem propositam à suis initijs accersamus, iterum natuitatem & institutionem consideremus, & inueniemus utraque præstantiorē in unius principatu. Natales enim radij nobiliores sunt eorum, qui nobilioribus officijs sunt destinati, propter eam, quam antea diximus, causam: quæ quidem tametsi videtur obscura, tam verissima est, at longius petita, quam vt hic à nobis explicari velit. Officium autem monarchæ longè præstantissimum est in rebus humanis. Publica nempe priuatis meliora sunt, & princeps in publicis præcipuū locum tenet: at monarcha solus omnem dignitatem & potestatem habet: quæ quidem in reliquis politijs est in multos diuisa: & ideo quoq; maior adhibetur ad eius institutionē cura. Nec tantū natura & institutione reliquis principibus præstantior est monarcha, sed etiam honoris cupiditas vehementer ad omnem virtutem eum incitare potest. Scimus enim omnes, summe potestati diuinè summos honores debiri, tantoq; maiores reliquis omnibus, quātò proximiū ad eam accedunt. Ita principes monarchæ, modò tales sint quales desideramus, qui iam Deo sunt op. max. proximi,

B 3 mi,

## LIBER PRIMVS.

mi, libēter ea faciunt, quę summis honoribus sunt digna: & insuper etiā multò quām alij facilius in officio suo ver- sантur. Cūm enim nullus tatus sit artifex, quin ad res con ficiendas instrumēta multa requirat, hęc quantò paratio ra fuerint, tantò ille melius officio suo fungetur, quantoq; potestas artificis fuerit maior, tantò se promptius illius arbitrio accommodabunt. Maiorāut est potestas prin cipis monarchæ, quām aliorum, qui diuīsum imperiū ha benn: & ideo subditi libentius illi parent. Quod si quis di eat, omnes saltē aristocratiæ dominos, vni monarchæ iun ētim esse pares responderim, raro simul omnes imperare quid posse, & singulos interim in rebus gerendis sep̄e ne gligentiores esse, dum sociorum suorum curę multa relin quūt. Ille verò cui omnia præcipua negotia cōmissa sunt, longè diligentissimus est, & facilimè quæcunque voluerit conficit: cūm in eius voluntatem & potestatem, non optimates tantum, sed etiam vniuersus populus cōspiret. Quare non est quod aliquis aristocratiæ principes, quia plures sunt, potentiores esse putet. Non enim constitui mus monarcham præsidijs omnibus destitutum, sed qui tales habeat cōsiliorum & actionum adiutores, quales esse possent illi, qui aristocratiam & politiam optimè gubernarent. Si quis igitur obijciat, ad res bene gerendas cogni tione nobis semper opus esse, & multos simul, tametsi sin guli nō magis, imò verò minus intelligent, consilio magis valere, quod quisq; suam scientiam in medium afferat, vnde facile proueniat, ex multis inter se collatis, vna quędam excellens: respōdebimus, bonos reges, de quibus nūc agi mus, in singulis negotijs, præsertim communibus, sapientum cōsilijs vti: qui cūm apud eum paris authoritatis sint, etiam citra affectum vllum audiuntur, qui mentem à re bus cognoscendis deturbare solet: vnde sit, vt secundum puram rationem & veritatem monarcha iudicare possit:

in

## DE REPVB.

8

in aristocratijs, autem vehementissimas contentiones fre quentissimè suscipi videmus, dum quisque suę sententię tanto fauore tenet, vt diuersas rationes nec sentiat, nec sentire velit. Ergo multò paratior est ad intelligendum et recte agendum monarcha. Nunc consideremus, an ipse sa cilius ab utilitate communi abduci possit, quēadmodum Aristoteles censem. Quod si plures in ciuitate virtutibus omnibus pares essent, & pariter cōspiraret in totius Reip. summam felicitatem, eos omnes fortasse, quām vnum ali quem, ad imperij gubernationem magis aptos esse putarē. Verū nulos nec in his nec in alijs vllis rebus possumus videre pares, & inter eos, qui pares nō sunt, oportet certè vt qui magis excellit teneat principatū. Deinde, quanquā virtutibus quibusdam aliqui pares sint, animis inter se nō possunt esse adeò coniuncti, quin intus multę differentię sint, & à causis externis plures suboriātur, quę mul tas dissidiorum occasiones præstent. Vt autem alias multas causas omittam, inter pares & potentes inuidia certè facilimè conflatur, quæ discordiam exitialem per vniuersam Remp. disseminare solet, quemadmodum ex multishistorijs est manifestiū, q; vt hic latius sit ostendendum. Dein de cū aliqua fucata boni species, à felicitate nos abducere soleat, ea se monarchis minor semper & minus multiplex offert: minor, quia quātò maior quis est, tantò reliqua sui cōparatione sunt minora: minus verò multiplex, quia non tot modis se miscet publicis priuata. In monarchijs enim tota principis felicitas in Reip. felicitatem, & vicissim hęc in illam redūdat. Itaq; cūm præmijs aut precibus maximè flectamur, monarcha, nimittim totius Reip. dominus, illa minimè requiret. Preces autem amicorū apud eum locum quoq; nullū habebunt. Nam veri amici nihil postulabunt contra Reip. principisq; dignitatē, mali, si tamen tales esse possunt apud bonum sapientemq; principe, indigna nun quam

## LIBER PRIMVS.

quā audebunt efflagitare. In aristocratijs, quanquā princi pes omnes publicā vtilitatē respiciant, incidūt priuata plu rima, quē sāpē, q̄ publica, plus ponderis apud singulos ha bent. Quòd igitur Aristoteles principes aristocratię aquā multe, quē difficilius quām pauca corrūpitur, similes esse dicit, ita deīmū admitti debet, si illi inter se pares sint, & in vnū planē coniuncti, paresq; sint etiā corrumpēdi causæ. Nunc autem cūm fere sint admodum inter se dissimiles, à se inuicem facile corrumpuntur, causæq; corrumpendi tantō maiores magisq; multiplices sunt, quantō illi sunt plures: quæ singulorum etiam sensus priuatum vehemēter attingunt. Cūm ergo proprium bonum à communi magis in principatu multorum trahat, in eo sanè maioribus virtutibus erit opus, quæ difficile quidem in multis homi nibus inueniuntur. Ergo satius est, vt vnu sit dominus ciuitatis, qui reliquo omnes in officio suo contineat, & totius Reip. tanquam suę, curam gerat. Id enim in hac vni uersitate fieri videmus, cuius nos imitatores sedulos esse decet. Quapropter merito laudamus Persarum antiquū il lud consilium, qui postquam magos occidissent, cūm inter se de Rerump. formis diu multumq; disputassent, monarchiam reliquis omnibus sibi præferendam esse duxerunt. Laudamus etiā illud quod scriptum est apud Homerum, quandoquidē plures optimē gubernare non pos sunt, vnu potius debere reliquis omnibus imperare. Quā quam autem optimam esse putamus monarchiam, non tam idcirco reliquas omnes Respu. vituperamus: possunt enim, propter multas hōminū differentias, suis tempori bus & locis, suam etiam laudem mereri. Sed quod in omnibus optimum est, semper potius nobis proponere debe mus, quod imitemur: & ideo magis ad monarchiam omnem nostram orationem componemus. Verū ex ijs quæ iam diximus, scimus, Rempū nihil aliud esse, quām inter multos

## DE REPVB.

9

multos homines communem quandam vitæ rationem & ordinem, in quo totius tanquam corporis bene compositi singularumq; partium felicitas spectatur: cui vel omnes æquis conditionibus presunt, vel optimi quidā, vel vnu qui tenet inter alios præcipuam dignitatē: & illā omniū præstantissimam esse Rempub. in qua ciues omnes vnius principis imperio legitimē reguntur. Nunc autem ad reliquam orationem nostrā accedamus. Et quoniam optimā aliquam Remp. constituimus, quam omnibus bonis abundatissimam esse decet, eam vt bene cognoscamus, bonoru genera nunc describemus, quemadmodum initio polliciti sumus. Ut autē rem latissimē patentem prius oratione breui cōpleteamur, bonū in vniuersum, more Philosophorum, quicquid est expetendū definimus: & expetendū id omne dicimus, quo fuerit quodq; perfectius et præstatiōres actiones edat. Quòd si perfecti penitus essemus, nihil esset quod vñq; à nobis expetendū putaremus: nūc autem cūm vnum solum absolutū esse possit, necessarium est, vt reliqua cuncta, quæ multis modis diuisa sunt, admodum sint imperfecta, si cum illo conferantur: attamen quoniā causam suam referunt, & firmissimis analogiæ vinculis pulcherrimē coniunguntur in vnum, in suo quoq; genere singula et haec omnia quoq; simul perfecta dici possunt, quatenus scilicet ijs ad suum ordinē nihil omnino deest: & eatenus etiā appetentia planē carēt. Hęc enim vna cum defectu est in hanc rerum naturam introducta: & ideo Physici materiā cum defectu coniunctā, constituunt principium appetitionis: nō quòd vel hic vel illa quicquā expectat, sed quòd alijs omnibus ambo præbeant appetentia causam: quatenus aliquid sibi deesse sentiūt ad optimam constitutionem. Sic etiam intelligendum est quod Plato dicit à Penia Pori presentiā semper desiderari: illam enim matrem, hunc autem patrem omnium rerum, & illam ma

C teriae

## LIBER PRIMVS.

teriæ defectioni, hunc formæ perfectioni simile facit. Sed hec non sunt huius loci, modò cōstet, id quod negari non potest, nimirum quod indigentia sensus in omnibus appetentiam parit. Ergo nec ea quæ tenemus expetimus, nec ea quæ ad optimam constitutionem nostram non conducent. Ita nunquā vt alij simus optamus, sed potius, vt nos ijdem, ad res omnes naturæ nostræ consentaneas perfectis simè conficiendas accommodatissimi reddamur. Quomodo verò quis alius fieret, nisi simul esse desineret, qui prius fuit. Imò ne sic quidem alius esset, sed potius aliud quippiā eius loco frueretur hac rerum natura. Ea quæ nō sunt æternitati destinata, continenter alijs alia cedunt, sed ea quæ non esse non possunt, quicquid faciant, præsentia sua cōferunt ad exornationem fabricæ totius, & si alij esse velint, cum summo scelere violent legē inuiolabilē, quam imposuit omnibus prima natura. Satius est igitur, vt nos ijdem esse velimus qui sumus, & interim tamen, quicquid est, aut esse potest in hac vniuersitate, id ipsum nobiscū ad præclarissimas actiones cōuenire cupiamus. Id autē omne quod conuenire potest, bonum dicimus & etiam expetendum. Expetendum, quatenus scilicet vnumquodq; vi sua trahere potest. Sed oportet, vt id quod trahitur aptū quoque sit, ad eum quem sequetur motum. Videmus enim à multis hominibus, quia sensus corruptos habent, virtutē etiam ipsam, qua tamen nihil melius est, non admodū desiderari. videmus etiam nobis innatam esse vim quandam, non tantum sequendi, sed etiam resistendi, de qua postea dicemus. Oportet quoque vt id quod mouendi potestatem habet, quodāmodo cum eo sit coniunctum, quod est illi obtemperaturum. Coniungitur autem aliquo motu, & hic motus rursus aliundē prouenit, & ita contextur aurea veterum poëtarum catena, qua sunt à Ioue cuncta validissimo nexu constricta: qui cū immobilis ipse sit, tamen

## DE REPVB.

men principiū et finis est omnis motus. Omnes enim dīj, eum de loco suo dimouere nō possunt, quemadmodum apud Homerum ipsem dicit, & ad se, tanquam ad finem omniū cuncta continuò trahit. Nam quāquam motus animalium nostrorum liberi sunt, semper etiam confluunt in eundem ordinem prouidentiæ Dei. Sed hæc latius explicanda non sunt hoc loco. Illud autem à quo proximè trahitur animus humanus, concepta species est alicuius rei iuuantis vel nocentis, & illa prosequendi, hæc autē fugiendi motum parit. Nam ea natura rerum omniū est, vt similia cōiuncta maiora fortioraq; fiant, & ad omnes motus suos paratiora, & vt contraria vel cedant superioribus vel inferioribus repellant. Cūm igitur in rebus humanis multa sint, præter primam cuiusque naturam, quæ meliorem quæque vel deteriorem reddant, illa sequi, hæc vitare debemus, & eò tandem péruenire, vt optimum aliquem statum consequamur: quoniam excellētissimam inter alia naturam habemus, cui volunt etiam ornamenta reliqua conuenire. Oportet igitur vt omnibus cogitationibus & actionibus nostris ad perfectissimam aliquam boni speciem feramur, perfectissimam in quam speciem, non alterius alicuius generis, sed humanam, quæ totam etiam hanc naturam ambitu suo comprehendit. Humanam autem hanc speciem nunc intelligo, naturę cuiusdam in eo genere excellentissimam, quæ sit etiam summis omnibus ornamentiis instruta. Si autem cum ea fuerimus in vnum coniuncti, nihil ulterius poterimus desiderare. Nam hæc semper est cum summo bono, in quo quidem omnis appetentia necessariò cōquiescit. Ab hoc enim habemus quod sumus, quod hac aura solisque iucundissima luce, nec ea tantum, sed etiam æternę veritatis splendore fruamur, & summam illum alterius vita felicitatē expectemus: deniq; quicquid habere vel desiderare possumus, id totū summo bono debemus:

## LIBER PRIMVS.

bemus: unde fit, vt cum eo coniuncti nihil amplius expetamus, quandoquidem in eo perfectam nostram natu-  
ram habemus. Quanquam autem eò nullis nostris viribus peruenire possimus, pro nobis hoc egregiè factum est, per singularem erga nos Dei benevolentiam, vt, si vehemen-  
ter summū bonum expetamus, illud ipsum protinus con-  
sequamur, quatenus eius capaces sumus. Manifestum au-  
tem est, quòd appetētia motus quidā est ad bonū, & etiam quòd quicquid mouetur, in eo partim est, ad quod proximè cōtendit. Nam alioqui nullatenus esset de loco suo di-  
motum, quemadmodum Physici demonstrant. Ita fit, vt quisquis bonum expetit, particeps sit alicuius boni: et quia motus esse nequit infinitus, fit vt ipse tandem perueniat ad desideratū finem, si modò nihil impedimēto sit, quod mo-  
tus continuationem interturbet. Quanquam autem hic nobis multa sint impedimento, spatiūque sit immēsum illius virtutis diuinæ, & ea imbecillitas humana, vt vix tantillum progredi possimus, benevolētia Dei semper no-  
bis adeſt vltro, nosque, si modò velimus, per omnes molestias facile transfert. Imò, nos cum ea coniuncti, iam su-  
perauimus & vicimus omnes huius itineris difficultates. Ipsa nimirum pro cuiusque mensura totum hoc rerum &  
animorū implet spacium, nec est necesse nos eam per longos & varios tractus inuestigare, sed tantum diligēter adi-  
tum illi præbere. Appetentia verò aditum illi confestim præbet: siquidem est affectio quēdam animorum nostrorū, quam profert oblatum bonū. Dum autem afficiuntur animi, necessarium est, vt, quemadmodum fieri vide-  
mus in hac vniuersitate, concipient afficientis virtutem, et in eius naturam quodammodo transformētur. Quod au-  
tem, cùm summū bonum semper prestò sit, non tamen semper afficiat, non est mirum. Nobis enim affectionis li-  
beram potestatem dedit, nec esset liberale, si quod semel  
datum

## D E R E P V B.

ii  
datum est, iterum auferret. Nihil autem bono magis con-  
uenit quam liberalitas, siquidem quemq; suapte naturali  
bentissimè sui participem reddit. Quòd autem libertas no-  
bis à Deo tāhquā magnum quoddam donū fit concessa,  
vel hinc intelligere licet, quòd tenet in reliquā naturam  
suum principatum. Oportet igitur quemadmodū postea  
móstrabimus, vt animorū nostrorū potestas illa libera sit,  
& vt, si bonū excludat, beneficijs eius destituatur. Exclu-  
ditur autē bonū obiectis malis, quē tam multa tamque ma-  
gna sunt iiii hoc nostro statu, vt omnem aditū intercipiat  
felicitatis. Sed in hæc quoque liberā potestatem habemus,  
qua si bene vñ fuerimus, diuino tamē præsidio semper fre-  
ti, nos accommodatores ad percipiendam beatitudinem  
continuò reddemus. Ea verò quibus accommodati sumus  
ad summū bonum, nomen etiam bonorum habent: de  
quibus nunc dicemus. Eorum tria genera sunt, animi, cor-  
poris & externa: inter quæ primum dignitatis locum ani-  
mus tenet. Verū ali rursus ordine corpus nostrum pri-  
mū est, & ea qua corporis necessitatī sunt destinata. Nam  
nec animi nostri sine corporibus, nec corpora sine quibus  
dam externis subsidijs esse possunt. De rebus autem exter-  
nis postea dicturi sumus. Nunc imprimis formandi corpo-  
ris curam suscipimus, & à viribus corporaturæ magis con-  
iunctis ordine ad animę præstantiores actiones proficisci-  
mur. In corpus autem nostrum natura, nec tantum in cor-  
pus, sed etiam in animum ipsa plurimū potest. Tam vio-  
lentas enim rerum gerendarum aut omittendarum causas  
ab origine nobis datas esse videmus, vt ille quicunque ge-  
nius sæpè vix vlla possit industria superari. Cùm autē à pa-  
rentibus suis præcipuam naturæ vim omnes deducāt, má-  
ximi refert, vt illi quam optimè sint affecti ad optimè pro-  
lis procreationem. Adeò quidem, vt, secundum Platонem,  
in eo magna sit pars incolumentis communis sita. Qua-

*Corporis  
cura.*

## LIBER PRIMVS.

propter idem Philosophus authoritate publica diligenter debere prouideri dicit, vt in cōiugij quām minimum pēcetetur: & eius etiam Aristoteles sententia fuit. Cūm igitur hic sciret à iunioribus & senioribus optimos filios nō procreari, prohibuit, ne viri ante trigesimum septimum, & ne fœminæ ante decimum octauum ætatis annum liberis operam darent. Ita fermè patres eodem tempore senes, matres steriles filijque primi apti matrimonio fiunt, & à parentibus senioribus etiam melius instituuntur ad omnem virtutē. Si quis dicat eiusmodi leges ponи nostris ciuibus non posse, intelligat non esse talem ciuem, qualem nos in optima Rep. desideramus, qui nequit affectibus, quibus Resp. laeditur, imperare, & à legislatore sedulò prouidendum esse, vt p̄mij aut p̄oenis propositis, discat cōtinenter obtemperare. Quod autem vehementer intersit Reip. vt omnes quām optimi nascantur, satis est manifestum, & etiam quōd omnes nascendi differentiae ad ipsam corporaturam referantur, quam à parentibus filij præcipue tenent. Nam etiam reliquæ naturæ motus cum generationis principijs conuenire solent, quemadmodum à physicis traditum, nec hoc loco latius est à nobis explicandū. Sic igitur in ijs qui liberos procreaturi sunt, philosophi meritò summam quandam curam adhiberi volunt, vt quām optima filiorum quoq; corpora fiat ad eas operationes omnes, quibus felicitas comparatur. Cūm autem corpora nostra compo- sita sint, eorum ex quibus constant iustum pondus & decentem conformatiōnis analogia desideramus: in his enim duobus positâ sanitatis est, & vis omnium rerum bene gerendarum: quæ si immoderata sint, immoderataū, hoc est vitiosarum actionū instrumenta fieri solent. Ergo saluberrima corpora sint & firmissima ad omnes actiones virtutis cum quibus est etiam fermè species & pulchritudo coniuncta. At cūm horum omnium magnum principium in paren-

## DE REPVB.

12

parentibus sit, ab ijs qui Remp. optimam constituere velint, aut constitutam conseruare, matrimonia minime negligantur: nam id non tātū ad optimorum, sed etiam ad plurimorum filiorū procreationem non mediocriter conductit: in quibus est salus & incrementū ciuitatis. Post natuitatem nutrices naturam & indolem puerorum vehementer vel iuuare vel corrumpere possunt. Nam cūm omnis consuetudinis maxima vis sit, præcipua tamen eius est, quę statim incipit vñā cum ætate. Ea nempe natura rerum omnium est, vt in proxima quæq; & in terrima potissimum vim suam continenter effundant: & hinc est quōd à primis alimentis & visis præcipue pueri mutentur. Ideo grauiissimi viri recte iudicāt, non ab alijs filios nutriti debere, quām ab ijs ipsis quæ pepererūt. Nam semper & maiorem curam mater suscipit, & præsentia sua filium sibi quām similiū reddit. Vbi tamen intelligere decet, nutrices ad has res interdum matribus esse meliores. Ergo consideramus quid singulis & Reip. magis conducat, & in educandis pueris summam diligentia adhibeamus, vt tenella corpora quām optimè cōposita sint, ac ad omnia virtutis opera quām accōmodatiissima reddantur: nec tātū ad operas virtutis, sed etiam ad alia, quæ ad usum quotidianum requiri, Reijs pub. maximè prodeſſe solent. Cūm itaque diuersissime sint corporum & ingeniōrum temperature, considerandum est diligenter, ad quos motus quęq; sint maximè proclives: motus inquam, vel ad virtutem aut aliquā aliam utilitatem, vel ad vitium aliudue detrimentum ciuitatis: quorum hi frequētissimi sunt, nostris præcipue temporibus, illi verò rarissimi vel omnino nulli. Proclivitas autem ad bonum est diligentissimè fouenda et promouenda, contraria penitus est coērcenda & eradicanda. Cūm igitur animi motus fermè corporis compositionem sequantur, quemadmodum medici dicunt, & hæc multis modis mutari

## LIBER PRIMVS.

mutari soleat, omnes hi referantur ad Recipub. felicitatem. Inueniamus ex omnibus in dictis, quibus rebus quisq; sit præcipue destinatus, et ad eas optimè conficiendas à nobis diligentissimè formetur. Alter fingendus est is, qui miles futurus est, aliter is, qui literis est operam daturus. Hic enim animæ purissimis actionibus occupabitur, ille corporis, & hic ingenij vim, ille membrorum robur exposcet. Perpendendum est igitur imprimis, an ad animæ functiones, an corporis potius quisque sit formandus: nam officia diversa diuersam quoque postulat educationem. Vixit igitur talis sit, qualis ad res getendas cuiq; maximè conducit: alijs, qui corpori vim & incrementum adiungat, alijs, qui promptum & perspicuum ingenium reddat. Nam quantū cibus etiam & potus valeat, & cognoscimus experimentis quotidianis, & est à Physicis satis demonstratum. Sed plurimum quoque valent ea quæ corporaturam nostram exteriorū attingunt. Attingit autem continenter aer circumfluus, totam permeat corporis nostri molem, & mutat eas partes maximè, quæ tēnent inter alias principatum. Hinc est, quod hominum tantum sit in diuersis locis discriminē: hinc est etiam, quod cum temporibus omnia cōtinuò videamus immutari. Aer enim cœlestium corporum & reliquæ naturæ vim concipit, & eā per corpus in animos vsq; nostros promptè trāsfert. Quod si verò quis dicat, eum à nobis mutari non posse, is intelligat, etiam in ijsdem ciuitatibus eius magnas differētias esse, & ab hominibus eum vniuersum meliorem aut̄ deteriorem reddi. Ita nonnunq; ab hominibus acerbissimas pestes legimus introductas & profligatas esse. Ergo nec aer, nec etiam reliqua negligantur elementa, quoniam plurimum in omnem partem valent, nec alia quoque negligantur, quæcunque sensibus externis percipiuntur. Non tantum enim corpus nostrum, sed etiam animum vehementer mutare possunt. Iis igitur omnibus

## DE REPVB.

13

omnibus quæ oculos, aures, reliquamq; corporaturā afficiunt, excitentur et prouehātur interni motus semper cōtra vitium ad omnē virtutē, & cōtra dānum ad omnem vtilitatē ciuitatis: nec etiā ciues vnq; ignavia corrūpi permittantur: Quoniā itaq; Resp. multis modis inter se differūt, & in his, vel in illis negotijs præcipue versantur, & etiā nonnulli ciues his officijs, & alijs sunt alij destinati, singulis à parentibus & magistratibus à pueritia continuò formandi sunt, vt, quemadmodum est apud Ciceronem, omnes pariter publicam & priuatam vtilitatem omnem commodissimè prosequantur, & ad regionis temporisque sui viae minimè sint prodiues. Qui natura vel instituto præteritæ vita molles sunt, ad labores & fortitudinem sunt transferendi: nimiū audaces & indomiti, sunt ad aliud remissum viuendi genus componendi, & denique semper à vitijs in contrarium ducendi sunt, ita tamē, ne virtutis modum in diuersam partem excedamus: cumq; varia genera virtutum sint, & inter eas sint alijs: aliae præstantiores, siquidem pulcherrimas assequi possumus, eas maximè quidem optamus: sed omnes homines ad ornamēta singula adiumenta paria non habent. Quapropter quid fieri possit vbiq; cognosci, & ex eo semper quod optimum est eligi debet. Lycurgus in legibus ferendis sibi præcipue fortitudinem proposuisse videtur, quod ciues bellicosos natūrā, angustum imperium non tantum defendi, sed etiam propagari vellet. Draco, in Rep. mari circumflua, cuius imperium facile nec opprimi nec dilatari posset, tranquillitatem potius elegit, & aduersus incōtinentiam, quam eiusmodi fertilitas regionis proferre solet, leges tam seueras cōdidit, vt eas non atramēto, sed sanguine scripsisse dicatur. Quod autem de totis dico Rebus pub. idem de singulis eārum ciuibus intelligi volo, vt scilicet pro cuiusque natura reliquisque circūstantijs instituantur ad præclarissimas

D quasq;

## LIBER PRIMVS

quasq; virtutes. Oportet igitur moderatores ciuitatum rerum & ingeniorum omnium esse peritos, vel saltē peri-  
tissimos in consiliū adhibere, quō sciant, quid rem quāq;  
pēsonamq; sequatur vel antecedat, & ita ciuitatē suam be-  
ne constituāt, beneq; constitutā in columem conseruent.  
Quoniam autem pueritię formandę prima cura est, & la-  
bores cūm vita statim incipiūt, nec ante finē eius vñquā  
desinunt, quō facilius sustineantur, necessarium est, vt in-  
quit Aristoteles, nos patientiam discere statim ab ipsa nati-  
uitate: quod certè ad imperium conseruandum & propa-  
gandum non mediocriter conductit. Ea nimurū vniuer-  
sae naturae lex est, vt à similibus similia fiant, vt à rebus mol-  
libus eneruemur, & duris autem vires acquiramus, et vt qui  
labores diutiū perpessi sunt, facilius & melius in negotijs  
difficilibus versentur. Quod quidem Lacedæmoniorū le-  
gillator non ignorabat, qui cūm, vt iam diximus, prēcipue  
ciuitati suae belli gloriam proposuisset, etiam pueris rigi-  
dos et militares mores prēscripsit, cuius institutis illa Resp.  
florebant. Nec ijs reliquos labores tantū, sed, quod magis  
est mirum, etiā sobrietatem imperauit. Quamuis enim pue-  
ris natura plurimo alimento sit opus, videbat tamen sapientissimus legislator, luxu potius quam frugalitate corpora  
& animos debilitari, necnon plurimam vitorum segetem  
ex eo passim prouenire. Nam animus, vt est apud Plato-  
nem, corpore saginato, tanquam equo lasciuiente, non po-  
test à rationis via frequenter non depelli. Idque est, quod  
idem philosophus nullis, nisi senioribus, vinum liberè con-  
cedendum esse putaret, in quo maximam incontinentię  
vim esse sciret. Ergo diligenter à luxu reuocetur, & ad so-  
brietatem & omnem laborem ciues omnes authoritate pù-  
blica continuò transferantur. Puerorum ingenia, tāquam  
agri, ex quibus Respub. suos omnes fructus est perceptu-  
ra, diligentissimē colantur, & rebus optimis serfatur: prohi-  
beantur

## DE REPVB.

12

beantur inseri quæcunque Reip. noxia sunt, et insita con-  
festim à magistratibus euellātur: nam semina virtutis ad-  
modum rara sunt, & vel sterile solum vel in cultum nācta,  
vel prouentu malarum herbarum facilimē marcescūt. Er-  
go primi motus diligentissimē formentur ad virtutem, &  
etiam omnes alijs quicunq; incidere solent in naturam hu-  
manam. Incidere verò solent, vt antea diximus, ex oblata  
specie cuiusdam boni: hæc enim suapte natura statim ani-  
mos nostros afficit, & in ijs excitat appetentiā sui, quæ vo-  
lūtatem etiā statim allicit ad operationes. Verū nos non  
tantū affectionis & actionis, sed etiam resistendi quie-  
scendiq; potestatem habemus. Hæc verò si remittamus, ne  
cessarium erit, vt à vitio confestim succumbamus, et vt mo-  
tus fucati boni, non tantū animum afficiat, sed etiam at-  
trahat in consensum ipsam voluntatem: quoniā in omni-  
bus rebus contrarijs, oportet vt vis superior inferiorem vin-  
cat: quod si frequenter fiat, cūm omnia solitis motibus fa-  
cile concitentur, & multis affectionibus in affluentis na-  
turam continuò transferantur, hinc magna peccandi pro-  
clivitas exorietur, quæ tota fermè negligētiæ referetur ac-  
cepta. Nam si diligenter verum et bonum inuestigaremus,  
& inuētum sedulo prosequeremur, in tam multas calamiti-  
tates non incideremus. Nunc nos ipsi vires quas ad virtutē  
habemus remittimus, & sic etiam cōtinuò remissiores, hoc  
est negligentiores, sumus. Sed prudentes legislatores, tan-  
quam boni medici, principijs omnium morborum obstare  
debent, & omnem diligentiam in coercendis vitijs & vir-  
tutibus promouendis, & ipsi adhibere, & in alijs ciuibis  
incitare: præfertim à prima ætate, cūm corporis motus in-  
quāmuis partem promptè flecti possunt. Videamus enim  
in fluminibus & alijs oīnnibus rebus, cursum quem diu-  
tiū obtinuerunt, vix cum summis laboribus impediri, vel  
aliò transferri. Verū quoniam de prima ciuium forma-

D 2 tione

## LIBER PRIMVS

*Motus* tione diximus, eos motus, qui proueniunt ex aliqua materia animorum. nifesta specie alicuius boni vel mali, quod facilius ijs ad omnem virtutem vtamur, adhuc paucis consideremus. Manifestum autem est quod hæc species, antequam afficere possit, necessariò nos attingat: et quod vel res præsens est vel absens, cuius specie concepta cōmouemur. Boni præsentis motus voluptatem, futuri vero spem in nobis parit: species mali præsentis ægritudinem secum adfert, futuri vero timorem. Iam cum bonum ad conseruationem & incrementum cōferat, & malum nos ad interitū rectā deducat, similem etiam vim ipsa species in animis nostris habet, quæ rei iuuantis vel nocentis similitudinem gerit. Quāuis autē falsa similitudo sit, ipsa tamen concepta tanq; vera, naturæ suæ consentaneā afficiēti potestatem tenet. Satis est igitur ad concitandum affectum, rem propositam bonam aut malam nobis videri. At species qua cōmouemur, vel est internæ alicuius rei, vel quæ nos exteriūs attingit. Interna vox, sanitatem & ægritudinem, ingenij perspicuitatē & habetudinem, & alia, quibus animi corporisq; compositio præstantior aut deterior habetur. Cum autem à rebus externis plurimi proueniant & diuersissimi motus, inter eos duo sunt, qui maximè nostram hanc imam corporaturam immutant, ab ijs scilicet rebus, quæ lingua tactuque percipiuntur. Hi nempe sensus corporis necessitatí præcipue sunt destinati: & ideo quoque nos facilius à rebus incorporeis & diuinis abducere, & pariter in naturam humanam plurimas corruptelæ causas introducere solent. Animus enim noster, si crassis istis corporis illecebris vehementer sit irretitus, purioribus illis officijs suis recte fungi nequit, quæ quidem maximè sunt secundum naturam humanam. Cum itaque iam corporis maximam, animi vero nullam fere curam geramus, sed infimæ tanquam fæci excellentissimam nostri partem libenter inuoluamus, quan-

tum

## DE REPVB.

15

tum in nobis est, pulcherrimum rerum ordinem peruerimus, naturam nostrā corrumpimus, quæ potius ab animo quam à corpore suā æstimationem habet, ac eam ad opera virtutis exercenda planè reddimus alienā. Animus enim conclusus angustijs inferioris corporaturæ, eiusque folidibus putris, se facile de loco suo dimouere nequit, sed torpidus iacet, foeda corporis mole tanquā sepultus. At oportebat eum semper omnem vim intēdere, & ad purores & libiores auras euolare, in quibus iam respiraret viuæq; virtutis actiones exerceret. Quod si vero sensum cōtinuo sursum conuerteret, facile cognosceret, q; abiecta quamq; turpis sit hæc infima natura, si cum illa superiore, cui destinatus est, cōferatur. Quapropter sedulō prouidendū est, ut nostræ cogitationes in animi quam corporis negotijs magis versentur, & qui crassis voluptates maximè sectantur, ab ijs longissimè abducātur: sic enim ad medium poterunt virtutis locum perduci: si videlicet tantò magis sursum rapiantur, quanto magis deorsum vergūt. Iam quoniam opes sunt instrumentum accommodatissimum, quo comparētur ea quæ nostris vīsibus inferuiunt, ideo species earum nos admodum commouere solet. Abiectissimus tandem est nimius pecuniarum appetitus, quarum materiam in profundis terræ visceribus reposuit natura. Cum igitur nostros animos à rebus cælestibus admodū abducant, non est mirum quod omnes auari folidi sint & atro succo infecti: quemadmodū illi quos inuidos appellamus: qui non iam rebus abutūtur, sed vīsum earum perditissimis suis voluntatibus de medio tollunt, & cum abiectos habeant animos, omnes alios, & optimos quosque maxime abiectos esse velint. Ob aliorū enim felicitatem discretantur, quā tamē ipsi consequi nullo modo possunt. Alij rursus homines, qui calidos & sublimes animos habēt, & exterius multis præsidij abundant, facile incident in immoderatam de-

D 3

se

## L I B E R P R I M V S

se persuasionem & nimium aliorum cōtemptum. Hi cū superiorem tenere videantur, infimum aliquem, quemadmodum & omnes mali, locū habent. Non enim quia lūm deprimit ipsē superiorom dignitatem adsequitur: sed is potius, qui alios secum virtutibus suis euehit in sublime. Ergo in eiusmodi hominibus verē persuasions falsis opponendē sunt, & ostendendum eos non esse tales, quales sibi videntur. Occasiones, quibus in eas stultas opiniones veniunt, auferendā sunt, & solidā virtutis dignitas est ante oculos ponenda, quod moderatiū de se sentiant, & verē superiorem in Rep. locum petere sciant. Superbis autem hominibus iracūdi fermē similes sunt, nisi quod illi superiores se putant, hi contrā deprimentem nimium insurgunt, & dum acceptum damnum illato compensare cupiunt, alterius officium, quē hīc rebus iustitia destinauit, vendicare, & etiam æquitatis modū excedere volunt. Vehemens enim impetus facile cohíberi nequit intra mediocritatem: & ideo prospiciendum est, vt vel non excitetur, vel statim in principio refrenetur, antequā tantus sit, vt vi sua nos inuitos impellat: nam principijs malorum semper facilis obstamus. Non excitabitur autē, si vel quietis vel contrarij motus causas opponamus: nam ab uno cōtrario semper alterius vires frāgi videntur. Quod facilius verō his & alijs malis omnibus remedium inueniamus, diligentiam summam in rebus cognoscendis & conficiendis adhibere debemus. Quod si diligenter rerum omnium examinaremus natūram, nūquā pro meliori deterius, nūquā pro bonis animi bona corporis aut exterīa, vel minus animi, corporis aut externum bonū eligeremus pro maiore. Verū quo ties aliquid, quod bonū videtur, sese obtulit, illud fermē, propter examinādī negligentiam, statim amplexamur, nec consideramus, quid mali secū habeat adiunctū, quid officiat ijs rebus, quæ boni nomen verē merentur. Itaque potius

## D E R E P V B.

14

tūls corporis voluptates et externas cōmoditatēs cōstatmur, quē bonē tātūm esse possunt, quatenus virtutis sunt adiumenta: nunc autem huius impedimenta sēpius esse solent. Ergo quod motus omnes egregiē moderemur, circūspectē vim singulorum imprīmis examinemus. Nam ignoratio rerum præcipua causa est, cur deterius aliquid agamus: si quidem nemo ferē tam demens est, qui cognitum malum sequatur, bonū verō perspectū contemnat. Quapropter prima sedulitas in inquirendo vero sit, secunda sit in eo quod conducere nouerimus comparando. Horum omnium fons et principium est in ea nostrorum animorū potestate, quam nos liberam appellamus. Ad hanc autē iam à prima corporis formatione, per medios animorum motus, deuenimus, in qua quidem posita vitia sunt & virtutes. Quod autem eiusmodi potestas in nobis sit, plurimis authoritatibus, rationibus & experimentis est manifestum, & tamē, quanquam est alterius loci, breuiter hic indicādum viderit: cū sit ad earum rerū, de quibus nunc agimus, cognitionem maximi momenti. Nam nulla virtus aut vitium, nullū iūstū p̄mū sit aut p̄cēna, nulla lex nobis ponēda fuerit, sed omnia in necessitatē aut fortunā rejciēda, si nō ad cognitum bonum prosequendum liberum motum habemus. Quod si quis dicat eam esse quoque legū vim, quē reliquorum omnū, quae sunt in hac terū natura: quē admodum enim hæc omnia specie suam in proxima quaque & in animos nostros effundunt, qua quidem alios impelli cernimus, alios parum aut nihil commoueri, quatenus h̄ vel illæ vires sunt pares, aut inferiores et superiores: ita quoq; positas nobis esse leges, quarū species animis cōcipiantur, & eos in hanc aut in illam partem impellat, non quidem liberis, sed necessarijs motibus, quibus ordine naturæ cuncta feruntur in suos fines. Quāram ab eo, qui sic argumentatur, vnde nam malum prouenire in hanc natūram

## LIBER PRIMVS

ram, & vnde nos p̄m̄ium & p̄enam commereri dicat, si non ab ijs quæ in nostra potestate sunt sita, quēadmodum Aristoteles ait. Quoniam enim secundū optimos Philos̄phos, imo eos omnes, qui aliquid mentis habent, à summo bono cuncta suam obtinent naturam, & ab eo nullum malum fieri potest vñquam, necessarium est vt aliqua natura sit, quæ se libero motu gubernet, & etiam ad malum propriā habeat potestatem, quum tamen ipsa verè sit optimū quippiā, nempe p̄cipua pars vniuersi. Quod enim vtriusq; boni scilicet & mali, potestatem habeamus, bonum est: quod autem ea recte quis non vtatur, malum quidem est illi qui deflectit, sed tamē interim vniuersitatē conducit. Quamuis igitur ab vna parte legis æquitas gratiaque Dei sursum trahat, ab altera parte humana imbecilitas & cacodæmonis versuta malevolentia deprimat, anima tanquam in medio posita, in vtramuis partem liberam in rebus omnibus saltem assentiendi potestatem habet, si quidem p̄m̄ium aut p̄enam commeretur. In rebus autē humanis, quas imperio suo comprehendit, multam habet etiam agēdi libertatē. Verūm obijciet fortassis aliquis, nullam energiam in hanc naturam prouenire, nisi ab eo quod iam sit energia, quēadmodum Philosophi dicunt, & ideo à pura potestate confici non posse tam multiplex opus, intelligēdi, expetendi et quidūs agendi. Id quod manu tenemus, in hāc & illam impellitur partem, propter similem manus iactationem, & hēc à neruis & muscularis, hī à spiritibus, spiritus ab anima concitantur, donec deuentum est ad primū initū omnis reliqui motus. Sed illud vnde mouetur? non à seipso: nam, quemadmodum Physici dicunt, sic vna pars mouetur, & alia pars eam moueret. Quærimus autem vnde nam id quod primum est, ita moueat, vt nos totos transferat in hanc aut in illam partem: nam cam vim oblatā boni malīue species habere nequit. Dicet

Aristo-

## DE REPVB.

17

Aristoteles immobilem eius esse naturā, à quo reliqua motū suū habent, eiusque essentiam esse puram & absolutam: reliqua verò quæ mouentur, habere multam potentiam adiunctā: quoniā eo carent adhuc, ad quod mouentur, cuius tātū potestatem habent. Sed cūm energia, de qua nunc agimus, libera sit ad omnem motum & etiam quietem, quomodo, cūm simplex sit, tam diuersa continet, & cui magis vnius quam alterius est operis causa? Atqui si magis vnius quam alterius causa esset, libera nō esset: sed illud quod potius esset, maximē sequeretur. Nunc autem libera dicitur, quoniam omnia pariter sua potestate comprehendit: imo nihil aliud est q̄ agendi quiescendiq; libera potestas: quæ omnes energias ē se proferat in hāc naturam rerum, quāstamen ambitu suā naturā continebat: hāc anquam medium locum, inter res diuinās & humānas tenet, quemadmodum Platonici dicunt. Iudicamus igitur ab eiusmodi quadam essentia libera, de qua libertas tanquam naturale & proprium, non contingens aliquid, dicitur, omnes has energias non autem à sola prouenire potestate. Quod verò vna magis quam alia proueniat, mirum non est, quoniam omnes continent, & liberam suam potestatem potius in hanc quam in aliā effudit, quia liberum illi fuit, quādū non exiit in aliquid opus: tunc enim hoc naturē necessitati subiicitur, vt scilicet quod factū est, nullo modo infectum fiat. Sed cūm externā quoq; fermē semper vires in agendo conueniant, potius ipsa sequitur potentiorem. Vnde fortassis minus libera videri possit: cūm tamen non necessariō sequatur potentiorem, eatenus saltem libertatē suā habet. Fieri autem potest vt externā cause pares sint aut superiores, quemadmodum in pueris, ebris, mente captis videre licet, sed nos de ijs rebus loquimur, quas habet in sua potestate. Triplices autem motus in nobis intelligere licet: pri-

E

mūm

## LIBER PRIMVS

mū naturales & necessarios, ita calores, rigores, concoctiones, morbos aliosque multos motus nobis inuitis prouenire videmus. Motus autem vocem more Platonicorū latius intelligo, quæ significet etiam omnes Aristotelicorum energias. Alij verò sunt naturales quidem, sed in quos iam potestatem habemus: vt dum se insinuant in concupiscibilem anima: partem species aliquæ boni vel mali: quanquā & hæ tam vehementes esse possunt, vt voluntatem necessariò impellant, quemadmodum in repentinis & validis affectibus, præsertim foeminarum & puerorū, cernere licet. Tertij sunt motus proprij liberæ potestatis, qui cum prioribus semper ponderādi sunt, modò cognoscere velimus, quomodo liberi sint, aut alterius imperio regātur. Sed iam fermè scimus, quòd libera quædam potestas animorū sit, à qua actiones multiplices descendant in hanc natūram. Hanc naturam dico, quatenus eam ab illa libera natura distinguo. Quòd autem eiusmodi quædam natura sit in nobis hinc etiam intelligere possumus, quòd interdum, dum nec vlla res externa, nec corpus vllam vim ad motus voluntarios extendit, animus, suę potestatis conscius, in hanc aut in illam, aut etiam in nullā partem se mouet. Si verò quis dixerit eum, dum se liberum intelligit, ab illa libertatis concepta specie concitari, si vera species est, iam habemus quod querimus: falsa verò sic esse nequit, quin habeat aliquid veri. Nō enim ex nihilo, sed ex aliquo sumitur omnis species, & in eo falsitas est, quòd nō eo modo, quo se res habet, concipiatur, & nos eodem modo concipi pronúciemus & intelligamus. Ergo necessarium est, vt aliqua libertas nostrorum animorum sit, si cōcipiunt eius speciem ex intima sua natura, & est etiam maximè consentanea naturæ humanæ. Nam videmus ingenia generofissima, quæq; minimè falli solent, libertatem semper plurimi fecisse. Quanquam autē etiam ciuilis suam dignitatem habet, illa tamen perfecta,

quæ

## DE REPVB.

18

quæ reliquas omnes ambitu suo cōtinet, à bonis omnibus semper vehementissimè fuit expetita: dum voluntas non impeditur vñquam, quo minus actiones omnes perueniāt ad destinatū finem. Nihil est etiā quod Dei opt. maximi sapientiā magis illustret: qui nō solum tot tantorūq; corporū cælestiū motus & vires, tam multiplicē elementorū per omnia tempora cōpositionem, vt interim innumerā illas metes æthereas omittam, exactissimè nouit, sed, quod multo maius est, quomodo voluntates, quibus nihil obscurus est, cum vicissitudine rerum omnium conueniant, in huius vniuersitatis exornationem, & summam gloriam factoris. Ergo libera facta summa potestas animorum est, nimirum imago quædam eius potestatis, qua facta est rerū omnium natura: & ideo præstantior est reliquis omnibus, quæ legibus necessitatis sunt adstricta. Verum hæc vltierius hic prosequi non licet. Quanquam autem hæc potestas est libera, tamen repentina violentique motus, sic eam frequenter perturbant, vt, tametsi diuersum possit, ferri se permittat in eam partem, in qua bonum aliquod vel prima facie se demonstrauit. Frequenter etiam illi motus tam vehementes sunt, vt liberæ potestati suum imperium omnino tollant. Cū enim voluntatis operationes semper ali quid mente conceptum spectent, & in phantasiam species non tantum à ratione veniant, sed, potius à sensu, siquidē hæ vehementer fluctuēt, totam rationem mentemq; perturbant, & phantasiae pelagus occupant sole, quas voluntas, validis tempestatis compulsa, sequatur. Ita nostra libertas est hic veluti cum multa seruitute coniuncta. Ergo diligenter prouidendum est, vt hi etiam inferioris naturæ motus omnes ad virtutem tendant. Adiumenta cuncta quibus ad res bene gerendas alacriores reddamur comparanda sunt, & voluntates præmijs & pœnis propositis ad omnem honestatē diligenter sunt incitande. Nam tametsi

E 2      liberæ

## LIBER PRIMVS

liberae sunt fermè motibus oblatis feruntur, quòd si verò cuncta bonum in nobis continuò spectent, quamuis in initio mille difficultatibus impediatur, tandem fieri ut consuetudo virtutis opera multò facilima reddat. Cùm autem animus noster liberam potestatem habeat ad omnem actionem, naturæ suæ limitibus circumscripta, oportet, ut sicuti mens ab initio tanquam tabella quædam in qua nihil est depictum, per sensus varijs formis veritatis exornatur, quæ discussis tenebris, virtutis superioris motu, in clarissimam cognitionis lucem facile exponuntur, sic & voluntatem, virtutum exercitatione sublatis impedimentis, quæ multa magna que esse solent, vñā cū instrumentis corporis actionibus suis continuò similem, ac ad eas iterandas promptam reddi: si modo quicquam eximum est vñquam effectura. At si impedimenta virtutum & adiumenta vitiorum, crescere sinat, suum imperium pulcherrimum in turpissimam seruitutem commutabit. Prima verò vitiorum semina maxima cura tollēda sunt, ab ijs qui virtutis fructum aliquem sperare volunt; nā eorum tanta fœcunditas est, in hac corrupta natura, ut aliquid, imò multum mali proferre nunquam definant, & tandem in magnas & firmas propagines excrescant: semina bonorum, quæ pauca sunt & marcida diligentissimè fouenda sunt, ut semper aliquid ad res bene gerendas producant. Cùm enim suis causis actiones omnes similes sint & instrumenta quoque quām similima reddant, hinc nimirum est, quòd operationis continuatio semper maiorem operis facilitatem parit: hoc autem non tantum in rebus voluntarijs, quanquam in ijs præcipue, sed etiam in reliquis omnibus visu venit. Nam cùm efficiens omne, secundum finem propositum, instrumentis quibusdam perueniat ad effectum, necessarium est, ut hæc omnia inter se bene conueniant, & ut instrumenta, dum frequenter efficientis vim concipiunt, eius actionibus

## DE REPVB.

19

bus aptiora cōtinuò fiat. Quòd si verò hæc multo deteruntur visu, id propter subiectum operationis cōtingit, quod quidem suæ conseruationis cupidum, quantum potest actionibus violentis resistit: alioqui semper verū est, quod iam diximus, nimirum instrumenta efficienti similia reddi: idque si in alijs minūs, saltem in ijs quæ nobis proposuimus, satis est manifestum. Affectuum enim instrumenta quædam natura nobis dedit, ire bilem flauam, moestitiae nigrā, & reliquis etiam omnibus sua, quibus animus tanquam artifex præst. Hæc autem instrumenta frequentibus motibus efficientis actionisque similitudinem acquirunt. Sic ira biliosos, tristitia verò melancholicos homines reddit: & meditationes exercitationesq; virtutum, instrumenta quibus opera virtutum fiunt, efficiunt rebus bene gerendis paratoria: vnde continuò virtutes suum incrementum & firmitudinem assument. Contagio quoque peccatorum nobis innata vires suas in corpus & animæ partes superiores effundit: quæ si se patiantur infici, tandem omnia desperationis plena fiunt: quoniam talia fermè sunt opera, qualia sunt operationis instrumenta, taliaque fermè sunt instrumenta, qualia usus & consuetudo fecit. Quapropter sedulò prouidendum est, si Remp. nostram saluā esse velimus, ut omnes animorum & corporum motus incitentur ad virtutes, & à vitijs auocentur: quod si fiat, ciues omnes magna procudubio præsidia rerum bene gerendarum acquirent. Tametsi verò iam adeò debilitati sumus, ut nos nec erigere nec sustinere sine Dei præsidio valeamus, si tantum quod possimus exhibuerimus, & saltem obtemperare conati fuerimus voluntati diuinæ, naturæ fæcisque legibus expressæ, id ipsum virtutis appellationem meretur. Nam à fine, quem spectat ipse conatus, particeps fit alicuius boni, & cum eo coniuncta misericordia Dei, ita timet cum præmio suo dignum reddit, ac ad maiorem conti-

E 3 nuò

## LIBER PRIMVS.

nud gloriā euehit. Sed iam fermē constat quid sit bonū, & quibus motibus comparetur aut amittatur. Cūm autē in nobis actionis & affectionis multa potestas sit innata, & insuper aptitudo quādam, qua vel ad hunc vel ad aliū motum exercendum aut omittendum faciles aut difficiles sumus, quatenus hæc ad bonum consequendum cōducit, virtutis appellationem etiam sibi vendicare potest, & vitum, quatenus occasionem alicuius mali præbet. Sed operationum frequens iteratio aliam nobis inferit qualitatem, virtutes orales. vt est apud Philosophos, quæ potestatem illam à natura datum, in vtramvis partem continuo potentiorem reddit. Quod etiam facile cognoscemus, si comparauerimus eos, qui à natuitate perpetuam vitam in locis desertis aut inter homines sceleratos egerunt, cum ijs qui à tenera ætate in prouectam usque liberaliter sunt instituti. Hæ virtutes itaque firmitudinem quandam postulant, vt inquit Aristoteles, frequentibus voluntatibus & actionibus comparatam: nec enim una hirundo ver, nec operationes nisi frequentes eiusmodi virtutem facere possunt. Cūm autem & actiones quibus virtutes comparantur, & etiam virtutes omnes ad bonum aliquod rectā nos ducant, manifestum est, quod in mediocritate quadam naturam suam habent. Quemadmodum enim in reliquis omnibus accidere videmus, vt suę naturę consentaneam obtineant efficiendi mensuram, ita virtutes modum & limitem actionis humanae nunquam excedunt. Vitium est enim non virtus, prosequi, quod consequi vel non possumus, vel nō debemus: vt si quis ad mentem beatarū vitæ hic, aut aliquid aliud eius generis, quod fieri nequeat, aspiret. Nec tantum humana quādam mediocritas est, sed etiam homines singuli suam officij mensuram habent. Ita quis ex plebe nunquam ambiet principis, aut alterius, viribus suis longè superiorem dignitatem. Verū si quod eximium est quis habuerit in sua potestate, quanto

## DE REPVB.

20

vehementius id concupierit, maioribusque viribus fuerit aggressus, tanto maiorem laudem meretur. Itaque dum virtutem inter excessum & defectum collocamus, eam ad vires & operationis subiectum conferimus. Considerandum enim quod bonum nobis accommodatissimum esse possit, & ad illud vires omnes sunt intendendæ, nec unquam in hanc aut in illam partem nimium progrediendum: nam certus modus rerum bene gerendarum naturæ rationisq; legibus constitutus est, quem non tantum operis defectu, sed etiam excessu deseramus: quanquam defectus, propter ignauiam nostram, magis est in vsu. Ita plures timidi quam audaces sunt, plures quam rigidi dissoluti, ignavi quam in studijs curiosi. Sed quicunque accommodatissimam sibi mediocritatem exactissimè seruauerit, perfectissimæ virtutis, eius inquam virtutis de qua nunc agimus, gloriam consequetur. Nam nec etiā in ijs quæ suapte natura bona sunt, nimiam curam collocare licet. Nimiam appello curam, cuius excessus maioris mali causam præbet. Ita superfluum studium corpus & animum frangit, & reliquas impedit necessarias actiones. Ergo in rebus omnibus modū seruabimus, quod si frequenter fecerimus, tandem habitus, vt vocant, nobis comparabimus, quibus ad bonum consequendum aut retinendum paratores simus. Naturam enim, præsertim in ætate prima, tanquam ceream habemus, quæ moribus & institutis in omnem partem flectatur. Prouidendum est autem diligenter, vt pulcherrimam referat effigiem humanā, & partium omnium decentissima comodatione constet. Nunc cūm una tantum mediocritas sit, & ab ea plurimi sint defectus & excessus, hinc est quod plura vitia sint quam virtutes, & plures homines mali quam boni: quanquam, vt diximus, homines singuli mediocritatem suam ab alijs diuersam à natura tenent, intra quam cum virtute consistant. Sic enim ex multis diuersis, in optima Rep. constituitur

## L I B E R P R I M U S

tur vnum absolutum, quod tamen in hac vita nunquam nos visuri sumus, sed omnia potius excessu defectuque vario plena. Ut autem ad mediocritatem perfectissimam proximiū accedamus, caendum est, ne vitia nos fallant, quæ virtutem imitari videtur. Nam circumstantiae rerum admodum multiplices sunt, & veris omnibus falsa quædam adiuncta, ut est apud Ciceronem, tanta similitudine, ut vix vlla sit iudicandi nota. Propterea quisque magnum consilium in rebus gerendis adhibere debet, si frequentius à recta virtutis via nolit aberrare. Consilium non ad omnia, quemadmodum voluntas, pertinet, sed ad dubia tantum, & ea ferme, quæ magni momenti sunt, & in nostra potestate scimus esse sita: pro quibus est operæ pretium consultationis laborem subire. Dicimus autem consultationem, examinationem quædam sedulam & maturam, earum rationum, quibus aliquid mentione dignum, faciendum aut omitendum esse videri potest. Quoties igitur bene consultamus & consilium diligenter sequimur, negotia conficimus, secundum veram virtutem & utilitatem. Sed infixæ sunt nobis appetentiae quædam brutæ, quæ sæpè vel consultare vel consilium sequi non sinunt: quibus si voluntas, cum superior esse possit, obtemperet, necessarium est, ut cum ijs in varias calamitates nostra culpa rapiamur: Quapropter oportet, ut ijs diligentia statim obsistat, & cōsultatione bonum nostrum nobis manifestum reddat, cuius species perspecta non potest ad amorem sui quemuis non incitare. Nam si quis viderit bonum, & sponte malum fuerit fecutus, is, propter magnitudinem sceleris, inter homines non fuerit numerandus. Quod autem ignoratur, culpam nostrā non admittit. Itaque Christus Iudeos peccatum non habituros fuisse dicit, nisi se manifestum illis fecisset, & Apostolus ait per legem introductum esse peccatum, quoniam scilicet ipsa nobis eius cognitionem dedit. Hinc est etiam quod iusta igno-

## D E R E P V B.

21

ignoratio nos apud iurisconsultos excusat. Sed cùm inquirendi diligentia sit in nostra potestate, ea prætermissa nobis præcipuam occasionē & causam peccati præbet, quanquā & eam quoq; cognitio quædā antecedit. Scimus enim quantū referat ad res omnes bene conficiendas nos in rebus inuestigādis sèdulos esse. Cùm igitur efficiens omne semper ad aliquæ finem cōtendat, à quo suam habet estimationē, in eo peccatum est, si malum, quod vel scimus vel scire debuimus, cōmittamus, & maximum quidem, si bene perspectū sit, & in hanc aut illam partē nullus trahat affectus. Cùm autem per ignorantem aut violentum aliquem motum aliquid cōmissum est, ijs causis sublati, pœnitentiā cōfessim in animum introduci videmus. Ergo qui fallitur aut cōpellitur, deceptionis & necessitatis excusationē habet, qui verò sponte vel malū fecit vel factum cōprobauit, is illius suæ naturæ quam ipse sibi fixit, omnem calamitatem debet acceptam, quæ cùm proprio suo motu mala sit, non amplius suis viribus se conuertat ad bonum. Oportet autem cōuersti, si eius particeps est futura. Quapropter rectè Aristoteles eos incurabiles esse dicit, qui pœnitentia sceleris perpetrati non afficiuntur, rectè quoq; Plato, qui non tantum pœnitentiam, sed etiā pœnā in remedium peccati necessariā esse dicit, nec id tantum, sed cùm nemo de se bonus iudex sit, præsertim si affectibus cōtrarijs concitat, quo planè liberemur, vtrō nos ab alio putat iudicium de nobis postulare debere. Verum iam in vniuersum fermè cognouiimus virtutū omnium & vitiorum naturam, nunc priusquam singula virtutum genera describamus, considerabimus, quomodo meliores aut deteriores omnes actiones nostræ fiant: quod vbi cōgnouerimus, præriorum & suppliciorum quoque ratio & virtus nem omnem statim intelligemus. Quod autem harū actio rum gravum, de quibus nunc agimus, efficiens causa sit libera potestas animorum nostrorum, ex ijs quæ diximus, satis est

F mani-

## LIBER PRIMVS

manifestum, quæ quidem si planè sui iuris sit, & nullis motibus aliunde concitetur, omnem laudem & vituperiū ex suis actionibus sola meretur: ergo tunc solum considerandum est, quales quamq; magni fuerint eius motus. Cùm autem libera potestas mentem habeat sibi proximam, imò verò potius in eandem naturam secum coniunctam, oportet vt primus eius motus statim ad veritatem contendat. Veritas autem hæc in animis nostris rerum omnium tanquam est expressa quædam imago: quæ quidem vel est insculpta mentiab origine, veluti Plato iudicat, vel postea per sensus in eam à rebus externis imprimitur, quemadmodum Aristoteles putat. Cùm enim omnia boni similitudinem quædam natura gerant, & ideo vim suam ad proxima quæque semper effundant, species quædam ab externis in animos nostros affluunt, quæ ipsarum rerum naturam imitantur. Verùm multò maiora continent animi nostri, quæ possint ab hac externa prouenire corporatura, quanquam huius etiam similitudinem per sensus acquirut. Sed harum pulcherrimarum rerum explicatio nō est huius instituti. Nunc autem ignorare non possumus, species rerum animo nostro contineri, quem etiam idcirco locum earum Aristoteles appellat: nec etiā illud ignorare iam possumus, animum in eas, quas continet, species suam habere potestatem, qua scilicet eas in lucem intelligendi exponat, & eum non tantum circa cōceptas species versari, sed etiā, si velit, externas multas concipere: quod si diligentissimè faciat, totius naturæ tandem pulcherrimam similitudinem geret. In hanc autem rerum similitudinem est primus eius motus. Nam cùm sola veritas quid nobis faciendum sit demonstret, ea si nō fuerit perspecta prius, vltérius recte progredi non licet. Verùm cùm species multiplices sint, & pro natura rerum aliæ sint alijs præstantiores, & etiam eadem perfectius ab his hominibus quæ ab alijs concipientur,

hinc

## DE REPVB.

22

hinc multi proueniunt dignitatis gradus: quorum alij superiorem, alij verò inferiorem tenent. Hic ergo curandum, vt, siquidem omnem veritatem tenere non possumus, præstantissimam aliquam & maximam, & eam quoque perfectissimè cōsequamur. In eo verò qui maiorem diligentiam adhibuerit, huius virtutis maiorem laudem meretur. Examinandum est igitur diligentiaē pondus, & eo virtutes omnes sunt æstimanda. Primi liberæ potestatis motus conferendi sunt, quantoq; ipsi sua propria natura maiores sunt ad bonum, tanto virtutes magis sunt insignes, & quanto vehementius ad malum tendunt, tanto vitia sunt maiora. Sed nos hic adhuc circa veritatē versamur, quæ tamē boni quoque nomen habet, quatenus scilicet nobis cōducit. Quād vehementer autem conducat manifestū est, siquidem omnium rerum bene gerendarum rationes nobis ostendit. Sed cùm aliæ res alijs præstantiores sint & vtiliores, excellentissimam & optimam quamq; maximè sequi debemus, & summam adhibere diligentiam, vt eam exactissimè cōsequamur. Diligētiaē verò differentias postea describemus: nunc adhuc proprios & puros liberæ potestatis motus potius consideramus, qui ab effecti dignitate laudem suam habent. Itaque si pariter omnibus omnis veritas proposita sit, qui præstantiorem elegerit, præstantior habetur. Idem etiam de bonitate intelligi volo, vt si plures erga multiplicem æquè liberi sint, præferendus est is, qui secundus fuerit excellentiore: rarissimè tamen æquè liberi sumus: nam etiam velle & nolle, quod in nobis liberrimum est, varijs modis ab externis causis commouetur in hancaut in illam partem. Frequenter quoque planè serui sumus: vt si nec scimus, nec scire potuimus, quid facere debeamus. Oportet enim vt primus motus in veritatem sit, hoc est in imaginem rerum animis nostris propositam: in qua cùm perspexerimus optimam quandam speciem, ad eam reliquas

F 2      actiones

## LIBER PRIMVS

actiones nostras instituimus, & quatenus possumus, effici-  
mus, vt natura rerum ad illam perfectā speciem proximiū  
accedat. Nam cùm in hac vita multis malis vndeque prema-  
mur, melius quipiam intelligimus, & vt illi quod intelli-  
gimus proximum aliquid teneamus, omnem conatum ad-  
hibemus. Ita cognitio reliquam actionem antecedit: ergo  
quod scire non possumus, in nostra potestate nō habemus.  
Frequenter etiam externus motus nobis est superior, vt si  
quis violenter à vento vel alio fortiori sit ad aliquid agen-  
dum impulsus. Id enim in necessitatē, non autē in volunta-  
tem, fuerit rejiciendum, nisi quatenus aliquis consentiat:  
sed eatenus dici non potest violentum: tam repentina quo-  
que tamq; vehementes esse possunt animorum affectus, vt  
secum, tanquam improuisi turbines, aliquem necessariò ra-  
piant: vt si crudelissimus tyranus tenerrimæ puellæ mor-  
tem, & etiam parentibus & amicis omnibus minetur, nisi  
quod postulat ab ea statim fiat. Quid enim facias, si tā vi-  
lentus impetus est, vt instrumenta, quibus aliquid agas, tan-  
quam è manibus expellat. Ita quosdam in periculis tam ve-  
hementer expauescere frangiq; videmus, vt se de loco suo  
nequeant dimouere: quosdam ob iniurias statim adeò suc-  
cendi, vt tanquam inuicta vi ad vindictam rapiantur. In  
his autem, nisi quatenus aliquid liberum est, virtus aut vi-  
tium esse nequit. Sed multa media sunt inter necessitatem  
& illam plane liberam potestatem, in quibus magnæ virtu-  
tum & vitiorum differentiæ sunt collocatae, de quibus nūc  
à nobis est dicendum, & considerandus est initio: pri-  
mus ille liberæ potestatis motus, quomodo iuuetur aut im-  
pediatur alijs motibus, quibus tamen superior esse possit:  
in eo nempe facilitas & difficultas negotij transigendi con-  
tinetur, vnde cognoscitur libertatis magnitudo, qua virtu-  
tes & vitia, præmia suppliciaque mensurari volunt. Nam  
quantò liberi motus fuerint maiores ad bonū, tantò virtu-

tes

## DE REPVB.

23

tes magis sunt insignes, quantò vehementiū ad malū per-  
gunt, tantò vitia sunt maiora. Quo igitur virtutum & vi-  
tiorum gradus inueniamus, primos liberæ potestatis motus  
omnes ex adiumentis & impedimentis inquiremus. Adiu-  
menta namque partem operis, adeo quæ gloriae vel dedeco-  
ris sibi vendicant, impedimenta non tantū omnem actio-  
nem efficienti relinquunt, sed quantum possunt operis par-  
tem auferunt, vnde sit, vt, tametsi maius opus non sit, ope-  
ratio tamen sit maior, quæ quidem virtus & vitium est, po-  
tiū quam effectum. Virtutem autem hic & alibi sèpè intel-  
ligo, quæ in actione consistit. Sic igitur quæ iuuant & im-  
pediunt cum efficiente coniungenda sunt, & ita de virtu-  
tibus & vitijs iudicandum: & hoc quidem non tantū in  
reliquis, sed etiam in ijs motibus, qui primū ad verita-  
tem tendunt, locum suum habet: quoniam etiam ad hanc  
comprehendendam instrumētis quibusdam est opus, quæ  
in diuersis hominibus sunt diuersa. Itaque tametsi vo-  
luntates pares sunt, non propterea par est cognitionis men-  
sura: alij tanquam nati sunt ad rerum cognitionem & in-  
quisitionem, alij natura torpidum & hebes ingenium ha-  
bent, & quosdam ad has artes, alios ad alias aptos esse vide-  
mus. Hæc autem differentia, quanquam etiam suos digni-  
tatum gradus hominibus afferit, naturæ potiū quam vo-  
luntati debetur. Sed quod alij diligentiores, alij negligenti-  
ores sint, id totum est in libera potestate situm, diligentio-  
res, inquam, vt eligant quam optimam & plurimam verita-  
tem, & vt eam perfectissimè consequantur, quemadmodū  
ante dicebamus. Diligentiae vero pondus, ex effecti adiu-  
mentorum & impedimentorum magnitudine cognosce-  
mus. Itaque considerandum est, quale sit id quod fecimus,  
quantum in rebus vel priuatis vel publicis possit, & quibus  
præsidij ad illud transigendum fuerimus visi. Hæc proue-  
niūt partim à rebus internis, partim autem ab externis. In-

F 3. terna

## LIBER PRIMVS

terna sunt corporis iuſtrumenta, quæ natura nobis ad res gerendas dedit. Externa ſunt rerum species, quæ in animos nostros incident, & eorum motus impediunt aut impellunt. Hęc igitur conſideranda qualia ſint, & quām magnas habeant vires. Sed antequam vltierius progrediamur, quæri poſſet, ea quæ in noſtra potestate non ſunt, quomodo meritum aut culpam admittant: in quibus tantūm velle poſſimus & nolle. Conſtat autem homines multa velle, quæ fieri nullo modo poſſunt. Nam & præterita peccata, qui fanæ mentis ſunt, velint non eſſe commiſſa, qui nimirum, contra quām oporteat, Epimetheum, quām Prometheum, potius imitentur: nec quisquam noſtrum tam felix eſt, quin cupiat ſtatutum ſuum meliorem, quām hęc corrupta natura patiatur. Nam Apostolus quoque, reliquiq; diuinitus afflati viri, naturam illam alteram ſummis votis optare ſolebant, quam tamen non niſi poſt hanc vitam ſe conſequi poſſe non ignorabant. Hic autem diſtinguenda ſunt ea quorum Deus eſt author, ab ijs quorū eſt cauſa rerū deſtitutus. Si quis enim apertè ſciat Deū quid omnino velle, veltuti talē eſſe primā naturæ conſtitutionem, qua munidi fabrica conſiſtit, & certis neceſſitatis legibus conſinetur, nefarius fuerit, ſi inſuperabili diuinæ voluntati relugetetur. In ijs verò quæ ſub cōditione voluit Deus, vt, ſi hoc factum fuerit, illud ſequatur, ſi peccauerint homines, ſupplicij afficiantur, ſi legem obſeruauerint, p̄m̄ia cōſequantur, cōditio quidem neceſſitatē in uiolabilem habet: ſed, velle poſſumus illud antecedens, cuius conſequens nobis conducibilis eſſet, cītra tamen iniuriā cuiusquam. Non enim quod iam alter habet, ſed priuquam habet, vt idem noſtrum ſit, poſſumus optare: nec ob id iniquiſuerimus, ſi dominium eius, quod domino caret, affectemus, quo quidem noſ indigni nouiſimus. Sed voluntas ſola, quanquam ſuam laudem & vituperium habet, non adeo ſpectatur à legislatore,

## DE REPVB.

<sup>24</sup> tore, ſi nullum eius effectum ſequatur. Nunc conſideremus in ijs in quibus non tantūm deſiderij, ſed operis quoque liberam potestatem habemus, quomodo virtutes & vitia maiora fiant. Cūm autem, vt diximus, conceptæ ſpecies incident animos noſtrtos ad aliquid agendum, & hec inter ſe diuersiſiſimæ ſint, aliæq; maioris ponderis, aliæ verò minoris, & interdum ſingulæ ſeparatim incident, interdū iunctim plures aut pauciores, & cūm ſæpè, propter variū circumſtantiarum concurſum, illa quæ inferior eſt ſuperior videatur, & propter aptitudinem noſtram etiā una quām alia noſ magis impellat, hinc eſt maximum virtutum & vi- torum diſcriben. Ita videmus quodam minoribus viri- bus, alios maioribus tantūm, & hos potius ab his, illos ab illis incitari: quod quidem quomodo fiat, iam perpendere libet. Res ex quibus ſpecies in animos noſtrtos coſfluunt, vel ad noſ pertinent vel nobis nullo nec priuato nec pu- blico modo ſunt coniunctæ. Ea verò quorum noſtra nihil prorsus iſteſt, noſ commouere non debent, ſed quæ noſ vel iuuare vel lădere poſſunt. Cūm igitur animus varia re rum analogias concipiatur, natura ſemper in utiſiſimam & optimā aliquā inclinat. Motus autē ex primo boni ſenſu, qui fit in inferiore animæ parte, appetētia vocatur, & volun- tas, ſi cū eo ſuperior illa libera potestas ſe coiungat. Sed ferme fit, vt nō recte naturā rerū examinemus, & deteriori po- tiuſ q̄ meliori noſ oblectare diſcamus, de quo peccato iā eſt à nobis antea dictū. Fit etiam, vt deterior ſpecies in nobis maiore vim obtineat, vel propter naturā noſtrā, vel propter viuēdi coſuetudinem: quod quomodo fiat à nobis nūc eſt dicendū. Ad actiones igitur obeūdas, inſtrumēta corporea, diuersiſq; hominibus diuerſa, rerū natura dedit, quæ ſuam vim cum artificis operationib⁹ ad aliquid confiendū co- miſſent. At vnuſquisq; in ijs rebus, ad quas inſtrumēta paratiſiſima poſſidet, libentissimè verſatur. Ita bilioti rebus bellicis,

## LIBER PRIMVS

bellicis, melancholici potius tristibus occupantur. Hinc est quod illa species animo cōcepta magis placeat, quam nobiscum natura magis coniunxit, & in eam rem cuius illa species est, animus noster maximē vergat. Hoc autem in bonis virtutem, in malis vitium minuit, quemadmodum antea dicebamus. Sed cūm natura nostra iam multis modis depravata sit, oportet vt instrumenta, quibus commodiūs egregium aliquod opus fiat, cōtinenter vsu meliora reddamus: quod qui diligentius fecerit, etenim maiorem laudem, qui verò fecerit negligenter, aut etiam illa deteriora reddiderit, maius opprobrium & supplicium meretur: Vsu enim natura nostra nouam quandam naturam acquirit, qua fit accommodatior ad has aut illas actiones. Vnde fit etiam, vt similes species, quas vsus nobis familiares fecit, promptè nos ad agendum impellant, præsertim si prima natura consentiat cūm ea quæ consuetudine fuit comparata. Ita videmus eos qui natura molles sunt, & luxui diutiū vehementiusq; dediti fuerunt, eius specie facilimē commoueri. Et qui natura fortis est, atq; in militia diu & strenue versatus, bellicis negotijs maximē delectatur, & ea facilimē prosequitur: idē etiam in reliquis omnibus actionibus vsu venit. Quatuor autem in vniuersum fermē sunt, quæ veniunt in hanc considerationem: species scilicet rerum, natura, cōsuetudo, & vis liberæ potestatis. Species qua commouemur vel insignis est in suo genere, vel non adeo magni momenti, & aut leui ter tantum imprimitur, aut violēto quodam motu. Quod quantum ad virtutis & vitij valeat incrementum, iam satis est manifestum. Secundo loco natura cuiusque consideranda venit, quatenus apta est, vt hoc aut illo motu feratur & externorum impetum iuuat aut remoratur. Nam si vterq; tam externorum quām naturæ motus ad virtutem aut vitium est, & animus consentiat, minorem laudem aut ignominiam meretur, si verò dissentiat & reluctetur, tanto ma-

iorem:

## DE REPVB.

25

iorem: at si corporis natura cum motibus externis non conueniat, quatenus boni vel mali instrumentum est, animiq; liberam vim ipsa iuuat aut impedit, eatenus virtutem & vitium minuit vel auget: nam difficilia semper sunt maiora. Idem etiam de natura per consuetudinem acquisita dicendum, nisi quod hęc prius in nostra potestate fuit: sed multa in naturam nostram incident, quæ vitari nequeunt, & eam non mediocriter immutant. Nam propter aërem circumfluum, qui diuersis temporibus & locis est diuersus, nos vehementer affici sentimus: idem de alimentis & alijs quæ nos attingunt, est dicendum, idem etiam de hominibus, cū quibus indies versamur. Cūm enim actiones & affectiones rerum propinquarum continuae sint, partimq; manifeste, partim occultæ, hinc variae rerum & hominum mutationes, quæ tamen aliqua ratione gubernari possint: sic vt ea quæ nos mutat in melius, similibus iuuentur, quæ in deterius contrarijs leniantur aut prorsus impedianter. Hęc autem omnia quomodo fiant, potius ad naturale pertinet speculationem, sine qua frustra vel in his vel in alijs vllis negotijs versemur. Nam, vt est apud Platonem, vnius alicuius natura sine vniuerso bene cognosci nequit, et substantiæ, quemadmodum inquiunt Philosophi, principia sunt actionum omnium, earum etiam, quas nunc explicamus. Hinc est quod nos subinde Physicorum Philosophorum limites attingere non vereamur, eos præsertim, intra quos animæ natura continetur, quæ maximum est principium eorum omnium quæ nunc tractamus. Verum hęc fortassis alibi latius exponemus. Cūm igitur si in nostra potestate sunt aliqua, ita demum culpam & meritum admittant, si quis hoc aut illo modo à rebus externis affectus est, quatenus in eo nostra potestas nullum habuit imperium, eius cōditionis est cum eo quod nobis dedit ab initio natura, & similiter auget vel diminuit dignitatem aut

G indigni-

## LIBER PRIMVS

indignitatem nostræ voluntatis: voluntatis inquam, nam operationes reliquæ & effecta etiam ab ipsa natura suâ laudem aut yituperum habent, quémadmodum antea dicebamus. Voluntas autem hic à seipsa tantum omnem dignitatem habet: nam puram eius vim in hisce actionibus consideramus: sed operis instrumenta tamē eam maiorem, adeoq; meliorem ostendunt, aut etiam deteriorem: instrumenta dico, quæ natura nobis dedit. Si in ea quæ nos afficiunt omnem potestatem haberemus, nobis penitus acceptum ferendum esset, si vel bene yteremur ea vel abutemur: nunc autem cùm natura nostra tam vehementer corrupta sit, & instrumenta rerum gerendarum vel desint nobis vel talia non sint, qualia desideramus, quo virtutum dignitatem cognoscamus, hic adiumenta sunt & impedimenta diligenter animaduertenda. Si enim affectiones primæ, quæ tandem per consuetudinem in habitum transituræ sunt, magna sint, & primam naturam habeant obsequentem, animus minimè laborat, si motu simili feratur, & maximè quidem laborat, si motibus illis reluctetur: quod si fiat ad malum, summis sceleris est, si vero ad bonum, ingentis cuiusdam virtutis. Verum etiam si nulli motus externi sint, animus humanus in naturam humanam suam potestatem habet, non in omnem quidem, sed in eam partem, in qua virtutes & vitia fiunt. Itaque concipere potest suo motu bonorum malorumque species, & eas in lucem mentis frequenter exponere, earumque vim omnem exacte dijudicare. Potest etiam in bonis prosequendis malisque fugiendis se diligenter exercere: quod si faciat, oportet illud spatiū in quo versatur, ad actiones illas tandem accommodatū reddi: oportetphantasiā frequenti vehementique iteratione formarum conceptarum aptitudine imbui, & instrumenta reliqua ad actiones multò fieri paratiōra. Ita si quis ab etate tenera citharā pulsare discat, rithmos & analogias phthon gorum

## DE REPVB.

26

gorum & animo subinde concipit, & transfert in nervos & digitos, vnde fieri, vt hi aptitudinem ad eiusmodi motus acquirant. Quod etiam in reliquis omnibus artibus certare licet. Sic animus sui corporatam similitudinem instrumentis corporeis imprimit, quod si frequenter diligenterque fiat, ad illius obsequium non possunt continuò non fieri promptiora. Promptissimè vero flectuntur ab anima spiritus, qui tenuissimam similitudinemq; naturam habent, in quibus fermè motus affectuum, & in his regendis virtutes & vitia versantur. Si ergo fuerit hic animus negligentior, id sibi debet imputare: sed interim tamē semper adiumenta & impedimenta, quemadmodum iam sèpè diximus, diligenter considerari volunt, vt cognoscamus, qui habitus, quam magnis animorum motibus sint introducti, & in ijs introducendis, quam magnæ virtutes vitiaq; fierint agenti vel resistēdi. Cùm autem habitus nobis iam infixi sunt, rursus iuuant aut impediunt actiones: actiones inquam ad bonum aut ad malum: & hinc rursus sumitur virtutū & vitiorum discrimen. Si duo nimis idem scelus commiserint, in eo minus delinquit, qui à tenera etate in vitijs est assiduò versatus, quamvis qui religionem & pietatē semper est professus: siquidem illud crīmē solum aestimemus: nam singula quæ præcesserunt, sicut quoque pondus habent. Qui vero puram cuiusque vim cognoverit, composta, si recte considerauerit, non poterit ignorare. Rursus, si reliqua paria sint, maior est virtus eius, qui sceleratè vitam hactenus trāsegit, quam eius, qui semper ad virtutem fuit institutus. Iam post vim rerum externalium, naturæ & consuetudinis, considerandus est liberæ potestatis motus, quæ sibi omnem actionem debet, nisi quatenus ab alijs iuuatur aut impeditur. Quamuis autem ad virtutem impedimenta plurima, nec ad vitium pauciora sint incitamenta, diligentiam & exercitationem iam constat in omnem partem plu-

G 2 rimū

## LIBER PRIMVS

rimūm valere, in cuius omissione iam peccatum fuerit commisum. Quocunque te trahat aut impellat affectus, assuefas habere semper rationem præsentem, & quod optimū esse cognoueris maximē sequaris. Proponitur mors tibi vel vxori vel liberis, nisi illud facias, vide quid honestius sit, quid Reip. magis cōducat. Inter se cōferas omnia, quodq; præstantissimum est tibi faciendum esse putes. Habet mulitorum exempla, nō modo nostræ religionis, quæ quidem innumera sunt, sed aliorum, nec virorum tantum, sed etiā puellarum, quæ calamitatem quamuis & mortem pro virtute facile cōtempserunt: quamuis minus mirum est, cùm amores multarum vitam finierint, quod propter virtutē, quæ nihil pulchrius esse potest, mortem nō recusariint. Sed demus nos, quoniam homines sumus, ab humanis affectibus planè liberos esse non posse: nam sapientissimos & fortissimos viros, vel ab ira, vel amore, vel ab alijs affectibus legimus esse deuictos, & Apostolus cōqueritur à se fieri malum, quod ipse facere non velit; attamen, si vera sunt ea que prius diximus, motus illos animorum nostrorum diligentia regere possimus & emendare: præsertim cùm, si modò velimus, diuinū auxilium nobis defuturū non sit, quo nos facile contra pericula calamitatesque defendamus: itaque Deus suam gratiam Paulo sufficere dicit, qua quidem etiā in maximis affectuum insultibus tutus esse possit. Verū Deus à nobis diligentiā saltem ad virtutē requirit, cumq; sit omnibus eadem insita vis à natura, non operis quidem, sed voluntatis, si quid per negligentiam omissum sit, in eo parem reprehensionem omnes fermēmerentur. Quod si qui talem habent corporis temperaturam, minus alacriter aliquid non tantum faciant, sed etiam velint, quām qui habent diuersam, fieri tamen potest, vt diligentiae par sit mensura. Efficiens enim oportet non tantum effectis, sed etiam adiumentis & impedimentis examinari, quo cognoscamus,

quanta

## DE REPVB.

27

quanta propria fuerit illius energia, qua præmiorū & suppliciorum pondus vult æstimari. Efficiens liberam potestatem nunc appello, effectum primum eius motum, nimirū voluntatem humanam. Cùm autem in hac vita sine corpore nihil animus noster possit, actiones omnes impediuntur ab aliqua corporatura, & in his hominibus magis, in alijs vero minus: potest tamē in diuersis esse par primæ liberaeq; potestatis energia, quæ debet in æstimandis virtutibus & vitijs considerari. Verū ipsa quoque nonnunquam prorsus opprimi videtur, vt in pueris & ijs hominibus qui mente carent, quoniam vt diximus, in omnibus actionibus instrumentis nobis est opus: sed videndum an instrumenta nostra culpa non sint affecta. Illi quorum tota mens est oppressa vino, cùm nesciant quid faciant, si quid committat, peccare non videntur: & tamen, vt inquit Aristoteles, à Pittaco sapiētissimo viro, grauioribus quām alij supplicijs afficiēbantur, quo & ipsi exemplum sumerēt, & alijs præberent, à vino potiū abstinenti, quām aliquid eiusmodi faciendi: præsertim cùm ebrietas sola nō mediocriter Rép. lēdat. Cùm hac verò satis conueniunt affectus violenti, qui similiter mentem perturbant, cōtra quos virtutū vallo nos munire debemus, quod si diu fecerimus & diligēter, non erit quod eos vehementer expauescamus: si neglexerimus, huc & illuc eorum impetu rapiemur: præsertim cùm omnes illæ causæ, de quibus antea diximus, se cōiungunt: tunc enim sine singulare Dei fauore illis resistere non licet. Sed externorum motuum occasions fāpe vitari, & instrumenta rerum gerendarum accommodari sedulò possunt, in eoq; vis liberæ potestatis adeoq; virtus & vitiū elucescit. Primum si quis causis affectuum contrarias & maiores causas opponat, eorum impetum confessim franget. Causæ verò præcipue affectuum sunt apparentes species aliquius boni vel mali, præsentis aut futuri. Et si quidē

G 3 verum

## LIBER PRIMVS

verum bonum aut malum est, par est ut pro eius magnitudine commoucamur: sed ferme species falsi boni nos fuko quodam decipere solet, & ideo summa quadam diligentia fuerit imprimis examinanda. Quamobrem bene nobiscum actum est, quod eam diligentiae potestatem omnes habemus. Oportet igitur, ut unam speciem cum alia sedulò consideramus, & illam quam ratio meliorem iudicarit, firmiter apprehendamus, nec ab ea nos diuelli sinamus. Ita videmus multos pro virtute varias calamitates perpessos, & diversissimis & grauissimis motibus concusso, qui tamen ab eius pulchritudine non potuerunt separari. Eam suis animis habebant tam evidenter tamque firmiter impressam, ut non potuerit deleri vel offuscari: ita qui pro Christo mortui sunt, eius specie sunt adeò commoti, ut ferme nihil aliud sentirent. Oportet sane ut id quod in animis nostris evidenter est, reliqua obscurat: oportet ut id quod efficacius phantasiam occupat, reliquarum imperium excludat. Prudentendum est igitur, ut semper præstantior aliqua species luculenter ante mentis oculos obuergetur: quod diligenti veritatis inquisitione & assuefactione fiet. Quod si falsa quædam imago nostrum animum prius occidet, tu quod eius motus validi repentinique sunt, tum quod illi natura vitaque transacta sit adiumento, non facile cedit, nisi, ut diximus, gratia Dei, qua nihil potentius est, nobis sit præstò. Potest tamen libera vis interim omnem lapidem voluere, turpitudinem illius detegere, meliorumque multorum phantasias inserere: quod si faciat assiduò, illa falsa species deterratur & tandem præstantiori locum dabit. In eo vero est proculdubio maxima quædam exercitatio virtutis. Sed tutissimum omnium refugium est misericordia Dei, cuius praesidio freti facile quasuis superamus difficultates. Nec tamen ipsa virtutem minuit, quamuis unicum sit rerum bene gerendarum adiumentum. Quoniam in ea tantum spem omnem.

## DE REPVB.

28

omnem collocare, summus quidam est virtutis gradus, à quo facilis est ad reliquos omnes descensus. Quanquam autem libera potestas animorum sèpè iaceat oppressa, non propterea libera non est, sed potius eius vis est impedita, quemadmodum cum operatio mentis, morbo, somno vel vino detinetur: quæ postea rursus evidens fit, sublatis impedimentis, non quod iterum nascatur, cum prius non esset, quemadmodum Aristoteles, ut & cætera omnia, rectè scribit. Hæc igitur vis, ybisui compos est, circa bonum & malum virtutes & vitia parit. Est autem sui compos cum vtriusque partis imperium habet. Habet vtriusque partis imperium, ybi altera tanta non est, ut eam nequeat ullis suis adiumentis dimouere. Semper autem vel le & potentioris auxilium implorare potest, nisi planè sit deuincta. Sed cum planè deuincta non est, & vtriusq; partis aliquam potestatem habet, quomodo pretiū suum eius actiones acquirant aut amittant, iam ferme satis est explicatum. Nam si hæc omnia quæ conuenire solent ad actiones humanas, tanquam bilancé examinauerimus, facile cognoscemus, quid unumquodque ponderis ad opera virtutis & vitij tenet, unde diuersos vtriusq; gradus facile deprehendemus. Nam cum virtus & vitium sit in liberæ potestatis motu, quemadmodum sèpè diximus, quanto vehementior hic fuerit, & illa quoque tanto fuerint maiora. Vehementiam autem effecti difficultas demonstrat, quam circumstantiarum omnium magnitudo mensurat: circumstantiarum inquam, quæ cum rebus externis natura consuetudineq; vitæ se coiungunt. Multù erat quod Vlysses Circes amores contempsit, maius quod cum amoribus immortalitatem, quam Calypso pollicebatur, & id ipsum adhuc maius esset, nisi tam fapiens Vlysses fuisset. Ita tametsi Mutium Scæuolam laudamus, quod in castra Porcenæ penetrarit, Judith tamen præscrivimus, quod Olofernem iugula rit, in-

## LIBER PRIMVS

rit, in Paride vituperamus quoddam amores patriæ saluti prætulerit, & magis quoddam inconspectam Helenam quaesierit, quam quod eam detinuerit, & haec virtia tamen in Hectorē multo maiora fuissent, & etiam in Paride, nisi Veneris fuisset autoritatem secutus. Omnes circumstantiae diligenter perpendendæ, in efficiente animi corporisq; affectiones omnes, quæ virtutem impediunt aut iuuant, tum quæ intus sunt, tum quæ aliunde accedunt. Omnia consideranda sunt, quæ cum efficiente, cum effecto, cum utroque sunt coniuncta. Ita cum hominibus bene natis & insti tutis virtutes quidem maxime, minimè verò virtua conueniunt: robur corporis, sanitas & aduersa valetudo, vel iuuat vel impediunt multas actiones: sic hoc aut illud vitium est ab his aut illis hominibus magis alienum, quamquā neminiconuenit. Luxuria in sene magis vitio vertitur & fœmina, pusillanimitas autē in duce. Ita peccatum grauius censendum est, quod ab eo commissum, quem præstantiorem hominum existimatione esse decebat, ut à religioso, & eo qui publicam aliquam autoritatem tenet. Itaque pro delictis principum etiā Resp. vniuersitas puniri, omnes tam diuinæ quam humanæ literæ, necnon experimenta multa testantur. Quantò nimirum officium curiusq; præstantius est, tantò per vitium longius ab eo recedit. Externa quoq; præsidia multum conferre solent. Ita paupertas & diuitiae nos ad aliquid faciendum aut preferendum saepius vrgere solent. Is etiam ad quem tendit animæ motus, eum meliorem aut deteriorē reddit: ut si Deus ipse sit, si principes, parentes, viri probi, pauperes, aut alterius alicuius conditionis, dubium non est, quin eiusmodi species animo conceptæ, nos in hanc aut in illam partem allicant, & virtutes virtiæ maiora reddant. Quædam cum utroque, tum eo à quo proficiuntur motus, tum eo ad quem tendit, sunt coniuncta, veluti aliquid peragendi modus: si hoc aut alio quis libi-

## DE REPVB.

29

libidinem explerit, an non tantum hominem interficerit, sed etiam in viuum aut in mortuum aliquā exercuerit crudelitatem, vt in Ciceronem Antonius, in Hectorem Achilles. Is enim modus qui plus operæ continet, maiorē ostendit sceleris cupiditatem. Locus etiam & tempus suā quādam vim nostris actionibus præbent, & reliqua quæ cum ijs sunt coniuncta, vt si sacra res abrepta sit, eoq; tempore & loco quo minimè decebat, & vel clam vel in aliorū conspectu, & eorum quidem quos maximè vereri debebamus. Cum enim cum circumstantijs omnia mutentur, earū species animo concepta, non mediocres ad virtutum & viatorū augmentum vires habet. Nec tantum id quod animo conceptum est, sed etiam quod concipi debuisset, est perpendendum. Verū haec exempli loco dixisse sit hactenus satis: & quidem de virtutibus in vniuersum plura nō videntur hoc loco tradenda, sed deinceps earum singula Genera genera consideranda sunt, vt exactius cognoscamus quā virtutū. tum ad Remp. conducant. Quoniam igitur ex oblato bono vel malo varij motus in nobis concitantur, qui nos in diuersissimam partem impellunt, in ijs rectè gubernandis duas præcipue virtutes occupantur, quarum alterā temperantiam, alterā verò fortitudinem appellamus. Illa motus, qui proueniunt ex oblata specie boni haec eos quos malis species secum affert, moderatur. Quod si verò semper talis esset tantaq; res, quanta nobis videtur, non esset quod ex motibus inde prouenientibus magnam admodum laudem aut vituperium cōmereremur: si quidem certas ob causas, & secundum rectam rationem impelleremur. Nunc autem cùm deterior aut melior sit quam appareat, & aliæ meliores sint aut deteriores, quæ nos potius debeat in hanc aut in illam partem commouere, si quod videtur bonum pro vero bono contempserimus, continentiae laudem consequemur: quæ sic dicta videtur, quia nos cōtinemus, nec

H per

## LIBER PRIMVS

per fucati boni specie nos à vero patimur abduci. Fortes autem appellabimur, si non sinamus à falsa mali specie nos in id quod verè malum est detруди. Verum bonum aut malū voco, quod magis est expetendum aut fugiendum: fūcatum & falsum, quod cūm natura teneat inferiorē aut infimum locum, corruptis hominum mētibus se maiore quādam specie offerre solet. Ita videmus etiam in reliquis omnibus motibus, conceptas vires pro concipientis natura mutari. Sed temperantia & fortitudo potius in ijs rebus versantur, quæ singulos homines priuatim attingunt. In ijs autem quæ spectant societatem generis humani, virtus est, quam iustitiam nuncupamus: quæ prohibet ne falsum nostrū alterius vero bono malōue anteponamus. Verum bonum dico, quod in Rep. naturaq; rerū maioris est momenti. Oportet enim vt priuata semper publicis locū concedant. Iam, quia primus animorum nostrorum motus ad veritatem tendit, opus est nobis prudētia, qua rationes negotiorum omnium facilē cernamus: & quia res humanæ & diuinis originē suā habent, sapientia quoq; nobis opus est, quā rerū omniū æternas causas contempleremur. Hęc autem virtus quanq; natura dignitateq; prior est, nos à posteriori bus initium sumemus: & quoniā multò frequentior & maior mali quām boni sensus est in rebus humanis, primū de fortitudine quādam dicemus. Hęc virtus pro honesto quæuis pericula, calamitates & mortem ipsam contemnit: quæ quidem vt est omnium horrenda maximē, præcipua materia dicitur, in qua fortitudinis officium versatur. Instrumentum fortitudinis secundum Physicos calor est, qui se in ambitum corporis è præcordijs ad promptam & agile operationum vim contra apparentis mali incursum effundit. Quapropter oportet vt similem motum cōtinuò meditentur & excitant, qui fortitudinis insignem aliquam gloriam sunt adsecuturi, & necessarium est, eos à leuissimis qui-

## DE REPVB.

30

quibusque grauissimē premi, quianimum & corpus vēcor dia facile constringi patiuntur. Nam, vt frequenter idē dicamus, animus corporis motum sequitur, & etiam mentis frequentem energiā imitatur hęc nostra corporatura. Ita videmus propter assuetudinem perferendi laboris atq; periculi potissimum esse fortes eos, qui diu strenueq; sunt in re militari versati, fœminas autem cōtrā, propter causas contrarias, esse timidas & imbelles: quanquam & hic & alibi natura quoque plurimum valet. Tamen si verò fœminæ fortassis in p̄elio versari possent, Amazonum exemplo, vera tamen non est sententia Platonis, qui eas ad bellum aptas reddi debere putat: nam magis conueniunt rerū domesticarum administrationi, nec tam is qui aliquo modo, quām is qui vel optimē vel optimo proximē facere quid potest, aptus dici mēretur. Sed exercitatio, quemadmodum in omnibus alijs, ita & hic maximum adfert momentū. Quapropter diligenter comparanda sunt omnia fortitudinis instrumenta, sic tamen vt nullas vñquam, si fieri potest, vitiorum p̄ebeant occasiones. Ira verò non mediocriter ad fortitudinem conducit: quam ob id ipsum nō tantum plurimi optimorum & sapientissimorum virorum sententijs & exemplis, sed etiam autoritate diuina videmus interdū approbari. Sed oportet vt moderata sit, iustas ob causas suscepta, vt tempus suum non excedat, & denique circumstantijs omnibus mēsuretur: quod quomodo fieridebeat, ex ijs cognosci potest, quæ prius diximus, cūm virtutū & vitiorum gradus consideraremus. Quemadmodum autem ira iuuat fortitudinem, sic ei timor plurimum aduersatur: cuius omnis ratio, cūm vnum contrarium alterius ostēdat naturam, ex ira facilē cognoscetur. Vt enim hęc feruēs est, & versus ambitum corporis sursum, quo supereret alterum, fertur: ita metus frigidus est, & defensionis causa p̄ecordia petit: & vt illa audaciam, ita hic timiditatem in ani-

H 2 mos

## LIBER PRIMVS

mos nostros inducit. Quoties autem falsa opinio mali timorem nobis incutit, oportet ut voluntas confessim animum conuertat ad speciem boni, quod cum malo coniunctum est, & avertat omnibus modis à cogitatione mali, doceatq; vel nullum vel non esse tantum, ut pro eo sic debeat commoueri, cùm, si constet sibi, nec se dejciat, vel auerti vel alio bono compensari possit. Id si voluntas sedulò faciat, tandem reliquū animum obsequenter rationi reddet, nec eum cum dedecore fugere sinet, sed fortitudinis stimulis, ad cōtemnenda quæuis pericula & quasuis calamitates impellet: & in eo fortitudinis vis est sita. Quamvis autem timorem fortitudini contrarium esse dico, tamen esse potest honestus: ita deterreri debemus, ne contra virtutem, leges, eos qui in dignitate constituti sunt, præcipue verò contra Deum aliquid faciamus. Et cùm nec in omnibus vbi vel ira vel timor vitium est, & què sit turpis, & cum his potius quam cum alijs circumstantijs laudetur & vituperetur, considerandum est, ne quis vel audendo vel metuendo modū suum excedat. Nam ut reliquæ virtutes, ita & fortitudo est in mediocritate cuiusq; constituta. Quāvis autē audacia magis q̄ timiditas laudatur, vtrāq; vitiu est, illud per excessum, hoc autē per defectum. Sed de his iam satis multa dixisse videmur. Oblata verò specie boni, protinus naturali quodam impetu ad illud consequendum incitamus, animusq; iam eius accessione tanquam melior majorque futurus, sc̄e effundit in totam corporis molē, præcipue tamen in eam partem, per quam id se maximè consequetur putat. At si falsa boni species sit, & mentem voluntas ad rerum inquisitionem & examinationem conuertat, cùm deprehendit vel nō sic vel nullo modo debere animum efferri, proposito veri fucatiq; boni discrimine, eum in officio suo continet, quod si frequenter faciat, tandem rancia. efficit eum facile obtemperantē: & eum habitū iccirco tem-

perant-

## DE REPVB.

31

perantiam appellariūt. Quemadmodum autem fortitudo nullis malis finit animū deijsi, sic ista nullis lenocinijs eum patitur ab honesto trahi. Ita quanquam spes et voluptas in vnam partē rapere tentent, & ex altera parte metus & ægritudo validè premāt, ijs duabus virtutibus fretus animus, à medio decori loco non potest dimoueri. Temperantia igitur vis in eo est, ut non faciat quis quod inconsulta spes & voluptas postulat, fortitudinis, ut faciat id quod temerarius metus & ægritudo nō esse faciendū affirmant. Cūm autem turpis spes & voluptas plus iusto progredi, metus autem & ægritudo infra modum regredi velint, hic opus est calcaribus fortitudinis, illic temperantia freno. Materiam verò temperantia maximè præbent ea quæ tactum & linguam demulcent. Habet quisque nostrū temperiem quandam ab ipsa natura partium omnium, quam animus humanus & res externæ, vel in hanc vel in illā partem flectere solent: ita quidem, ut, quemadmodum in reliquis omnibus rebus, & hic quoque limites sint, intra quos cum voluptate consistamus. Quod si verò modum nostrū excesserimus, statim animi vel corporis doloribus laboramus. Sed non omnis affectio, quæ intra limites voluptatis est, nobis est concessa. Nam ijs qui luxui vehementer dediti sunt, illæ res quæ tangendi gustandiq; sensum demulcent nimiū placent: & homines inuidi atq; maleuoli ex aliorum calamitatibus summam capiunt voluptatem: & ijs qui vehementer elatos animos habent, sibi plus quam par est inanibus quibusdam somnijs assentantur: denique reliqua quoque vitia cuncta, in malis hominibus suam quandam gratiam habent. Nam qui falsis delitiarum saporibus imbuti sunt, siue corruptæ primæ naturæ, siue prauæ consuetudinis illecebris ducantur, similibus maximè capiuntur, & ijs continuò quoque deteriores redduntur. Ergo non semper voluptas nobis est concessa, quia non omnis,

H 3

imo

## LIBER PRIMVS

imò rara voluptas virtutem, & virtus voluptatem secū habet, eām in quam, de qua nos loquimur voluptatem : sed aliam veram, optimam & necessariam sui comitem semper habet. Omnis enim virtus necessario definit in firmam aliquam & puram voluptatem. Voluptatem autem, quē sine virtute est, necessario tandem sequitur dolor. At præstat vt vltimum bonum expetamus, post quod nullum malum est, quām id quod statim in magnas & continuas molestias transit. Quapropter, cūm virtus certum & perfectū bonū sibi proponat, & ab eo varij flexus sint, in quos nos fucata voluptas maximè trahit, ij qui veram felicitatē spestant, falsas illecebras, & eas quæ vehementiores sunt & longius à virtute trahunt, maximè vitent. Tales illecebræ sunt quæ tactum & linguam demulcent. Cūm enim hæc instrumenta corporis mollia sint, cumq; natura consuetudineq; continuo molliora fiant, & omnia semper similibus suis iuuentur, si modum ijs excesserimus, incōtinentiæ turpissima labe nos contaminamus: quæ perpetuum suū augmentum in nobis facile sumit. Nam eiusmodi dulcedine diutiū frequentiūsque deliniti, dum eārum partium titillationi nimium fauemus, totius vtilitatem & incolumitatem negligimus, presentesq; voluptates impedimento sunt, vt non sentiamus acerbitates futuras. Quanquam autem etiam nimiūm dura vita rigidaq; vitium est, positum nimirum in defectu, perinde tamen in his rebus humanis locū non habet, cūm iam nemo ferè magis q; oporteat se contineat à rebus iucundis. Ergo potius nimijs voluptatibus est resistendum: ad frugalitatem & omnem asperitatem vitæ diligenter omnes affuefaciendi sumus. Non frustra sobrietatem, militiam, exercitationem variam à viris sapientibus institutam esse putamus, sed vt ijs homines fœditates istas expurgarent, & ad continentiam aptos sese redderent. Hoc institutum veteres & Philosophi & legislatores diligenter

## DE REPVB.

32

genter tradiderunt, Persæ, Lacedæmonij, aliaeq; gentes feliciter obseruarūt, & ij qui vitijs his obnoxij maximè sunt ad eius obseruationem institui maximè debuerunt: nam, præter alia plurima mala, ciuium animos imbellies reddūt, vnde necessarium sit Resp. per ignauiam interire. Laboribus enim nos aptos ad quafuis res bene gerendas fieri vide mus: delitijs nos debilitari, frangi & ad omnes res præclaras in utiles reddi. Sic in historijs omnibus legimus, eos qui se laboribus tradiderunt, semper res magnas gessisse, conuersos autem ad voluptates, omnem statim gloriam perdidisse. Nec tantum in his quæ iam diximus, sed in ijs. etiam quæ auribus, quæ oculis, quæ mentibus percipiuntur, in sermonibus & omnibus actionibus nostris modus est seruandus, vt nihil nos delectet eorum quæ audiuntur, quæ videtur, quæ intelliguntur, nisi contineat aliquam imaginem veri atque boni: sic orationem & omnem actionem nostram rebus & personis accommodemus, vt à decori via nunquam discedamus, & quoniam hic geminus affectus est, præteritæ voluptatis & futuræ, iustum utriusque dolorē opponemus. Nemo enim tam demens est, qui voluptatem querat, cui maiorem dolorem videat esse coniunctum: ita pœnis propositis voluptati immoderatae cupiditates franguntur. Sed hic cursus animaduertendum est diligenter circumstantiarum omnium discrimen: luxus in sene quām in iuene deterior est, & impudicitia fœminā maximè decet, sacræ quoque personæ & publicæ semper grauius peccant, et etiam quædam negotia, tempora locaque, vel à voluptatibus magis aliena sunt, vel eas etiam admittunt.

Quomodo vero circumstantijs virtutes & vitia mutantur, antea diximus, vnde quoq; licet facile cognoscere, quomodo iustitia peccata castigari velit.

De

## De Republica Liber II.



A M duō virtutum genera pro instituto satis cōsiderasle videor, Antistes illustris. quæ quām p̄eclaræ quamque necessariæ sint ad res omnes cūm priuatas tum publicas, ex ijs quæ diximus, & ex alijs multis, quæ necesse non fuit hic recensere, facilè cognosci potest: quām verò negligantur hisce temporibus, sentiunt illi quidē p̄cipue, qui reliquis sapientiores sunt & meliores. Ii dum acutissimis mentis oculis latissimè cernant, & erga virtutem omnem optimè sint affecti, non possunt eorum opem non implorare, qui, si qui alij, rebus laborantibus & perditis auxiliū ferre possunt, vt per eos suam dignitatem obtineant illa, sine quibus vtilitas & salus communis constare nequit: inter quę virtus omnis longè primum locum tenet. Hanc si viri principes in summo pretio habeant, & omne vitium omni conatu depriment, cūm natura quisq; rapiat ad gloriam & vtilitatem, à dedecore autem & detrementis vehementer abhorreat, eo solo felicitatem publicā non mediocriter promouebunt. Nec id quidem illis difficile fuerit: nam vel mediocriter cernenti, virtus ipsa statim elucescit, & suapte natura superiorem, vitiaq; locum inferiorem semper petunt. Nunc autem contra naturam vitia virtutibus imperant, & omnia potius fiunt ad vtilitatē priuatām, quām virtutem & felicitatem communem: à determinis male sentiendi viuendiq; monstis totius Reip. Christianæ salus miserrimè opprimitur: adeo quidem, vt, cūm opinionum & vitiorum labes continuò serpat, & minus remedij quām desperationis videamus, non timere nō possumus, ne nostræ res in foēdam & celere ruinā collabantur:

certe

## LIBER SECUNDVS.

33

certe spes, si qua nobis reliqua, tam est remota tamq; exigua, vt nullis humanis oculis bene cernatur: sed rurſus tamen, quoniā esse Christiani volumus, etiam in summa desperatione rerum omnium sperandum semper est, Christum pijs hominibus nunquam esse defuturum, cuius procudubio beneficentia cuncta, non nostris virtutibus debemus. Videamus etiam ægritudines & calamitates sæpè causas ingentium bonorum fuisse, & veritatem ac virtutem, quæ subinde tenebris & ignauia temporum ac animorum offuscatur & marcescit, nouis eiusmodi motibus iterum accendi solitam & inflammari. Nonnunquam Deus homines in summam desperationem delabi finit, quò fateantur non ab humano præsidio, sed auxilio diuino nostrā salutem pendere: ipse tandem animos magnos in Rep. face re & excitare solet, ad rerum omnium restaurationem, qui sapientia rationes negotiorum animaduertant, fide subditos diligenter tueantur, virtutibus omnibus felicitatem in Remp. introducant, & eam honestissimam immortalitatem gloriae sibi querant, pro qua summi labores à generosis animis merito suscipiuntur. Nam inter res omnes humanas, si tamen potius humana quām diuina dici debet, p̄cipue optanda fama rerum bene gestarum est, quæ nō tantum in hominum animis, sed etiam in monumentis ipsius æternitatis manet. Eam tibi tuiq; similibus Antistes illustri pro tantis virtutibus & in Remp. cura deberi & exhibituiri fatentur omnes boni, & ijdem fore sperant, vt per vos omnes virtutes in Rep. nostra suum obtineant splendorē, omnes inquam pariter virtutes. Nam vt omnia, præsertim optima quæq; sunt arctissimè coniuncta, sic vna virtus à reliquis destitui nequit, & omnes ferē parem ad hominum felicitatem autoritatem tenent. Sed inter reliquias iustitia latissimè patet, ac ad Rempub. maximè pertinet, nec tamen minus, imò verò magis quām reliquæ violatur. Hæc

I filo-

## DE REPVB.

si loqui posset, mœstissima profectò oratione principum opem efflagitaret: imò assiduo loquitur mentibus honorū omnium, adeò quidem, vt eos frequenter in profunda suspiria; lachrymas & querimonias cōpellat. Sed has in aliud tempus differemus, & nunc ad ipsius iustitiae explicationē accedemus, quæ quoniam maximè Remp. attingit, longior rem orationem à nobis hic requirit. Omnis autem virtus, quæ legibus paret, interdum à Philosophis iustitia nuncupatur: nonnunquam etiam eadē, quia virtutes omnes mediocritate quadam continentur, temperantia seu frugalitas appellatur, & tam latè patens vitium sibi contrarium habet, quod malitiam vocat, fortasse quòd illa iustitia communis quam latissimè se per omnem bonitatem extendat. Sed nos de ea iustitia nunc potius agimus, quæ in hominū cum hominibus cōiunctione versatur. Nam illa quæ non tam respicit societatem generis humani, proprium etiam alterius virtutis nomen habet. Ita qui libidinis impetum rectè moderatur continens est, quatenus autem eam in alienas fœminas effundi non patitur, dici potest iustus: quòd infractus in periculis & calamitatibus alicuius animus est, idipsum fortitudini debetur acceptum: sed tamen æquitatis etiam est officium, bonorum virorum pericula & iniurias fortiter propulsare. Iustitia verò propriè virtus est, quæ distribuit & exhibit idipsum quod cuique debetur: partim autem circa personas, partim circa rerum commutaciones in cōtractibus occupatur: illa prior, de qua priore loco dicturi sumus, exactissimè tribuit omnibus omnia secundū dignitatē quam habet. Cùm autē dignitas omnis bonorum pondere numeroq; cognosci velit, bonaq; vel animi vel corporis vel externa sint, & non tantum inter hæc genera magnum discrimen, sed etiam in singulis diuersissimi inueniantur gradus, ijs quidem omnibus cognitis, cuiusq; dignitatem non poterimus ignorare: at neglecta cognitione ha-

## LIBER SECUNDVS.

34

nē harum rerum, non video quomodo vel huius virtutis, vel etiam alterius, sed huius præcipue possit quis egregiam aliquam laudem mereri. Ergo nobis hic exacta cognitione honorū est opus, quòd sciamus, an quisq; sit quod commeruit consecutus. At non tantum quales sint illi quibus debetur aliquid considerandum, sed etiam quales sint qui sunt alijs aliquid distributuri: nā semper fermè tales actiones sunt, qualis est agentium natura. Cùm igitur in Rep. bene constituta ciues omnes, quatenus fieri potest, bonos, nec tamen ijsdem dignitatis gradibus desideremus, in multū eorum voluntatibus & operationibus omnis iustitia ciuilis occupatur, & efficit, vt inter se cum rebus consentiant in pulcherrimam aliquam analogiam, qua communis felicitas continetur. Ita videmus in hac vniuersitate rerū, quæ proculdubio ab optimo sapientissimoq; artifice pulcherrimè constructa est, & inuictis æquitatis vinculis vndique comprehensa, partes alias alijs esse præstantiores, & præstantioribus aut inferioribus negotij destinari, & vicissim tamen officijs suis singulis simul omnes incoluntatem totius fabricæ pro viribus tueri. Nam cùm vnum tantum possit esse perfectum, necessarium fuit, vt reliqua iunctis subsidijs singulorum & omnium imbecillitatem iuarent, & sic quæ imperfecta singula sunt, in vnam perfectā imaginem pariter conspirarent. Res igitur in hac vniuersitate debebant esse varie, cùm solum vnum illud éternum, nullum autem factum seipso possit esse contentum, & sic etiam oportebat, vt essent homines in Repub. diuersi, qui, ad similitudinem partium totius naturæ, se mutuis beneficijs prosequerentur. Quemadmodum autē magnus ille magna Reip. gubernator optimè nouit, quid quamq; rem personamq; maxime deceat, ad exornationem fabricæ totius, sic etiam ciuitatum moderatores, quatenus hominibus prudentibus concessum est cognoscere causas & even-

I 2 tus

## DE REPVB.

tus rerum, non debent ignorare, quicquid ad felicitatem subditorum totiusq; Reip. conductit, sed ciues pro cuiusque ingenio sic in diuersis negotijs instituere, vt in virbe tota nihil omnino desideretur. Si verò ciues hunc pulcherimum ordinem voluntatibus & actionibus obferuent, in eo quidē Reip. totius æquitas est collocata. Quoniā itaq; nos optimam aliquam Reip. specie hic nobis proponimus, ad cuius imitationē satius est vt nos componamus, quām ad aliam aliquam minūs perfectam, siquidem imago suum exemplar absolutum nunquam adsequitur, & ipsa continuo deterior fit deteriorum imitatione, oportet vt in eius modi Republica partes omnes ad suos v̄lus quām optimè sint conformatae, sūx naturæ consentaneas operationes in communem felicitatem edant, & vt omnes confluant in unam aliquam totius Reip. perfectam energiam, in qua felicitas communis est sita. Sed quoniam ita dignitatum ordines diuersi sunt, vt à superioribus inferiora contineantur, & unum sit, in cuius potestate reliquorū vis omnis sit collocata, æquum est vt ad illum omnia referamus, cuius beneficentiae cuncta debemus, si vel nos vel actiones nostras alicuius esse pretij velimus: nam cùm ab eo suam habeant omnia dignitatem, quatenus aliò tendunt, eatenus proculdubio dedecus & damnū suum accersunt. Opus est igitur vt in eius gratiam omnia faciamus, sine quo nihil penitus habere sacerue possumus, quod si diligenter fecerimus, eo ipso finem nostrum & operationum nostrarū omnium, hoc est ipsam felicitatē consequemur. Nam cùm ipse nec nobis nec factis nostris ullis unquam egeat, debitum officium, honorem videlicet summum, illi reddere, nihil est aliud, quām imaginem quandam eius, quatenus mens nostra capax esse potest, cum admiratione, veneratione, nostraq; tenuitatis comparatione concipere, & pariter ponere totas operationes nostras ad eius unius summum incre-

## LIBER SECUNDVS.

35

incrementum: non quòd eum, qui sibi planè sufficit & immensus est, iuuare maiorēm reddere possimus, sed quòd animum nostrum, si modò dignitatem suam obtinere velit, non tantūm huius vniuersitatis, verū etiam illius artificis supremi quandā similitudinē gerere cōueniat, unā cū vera sui ipsius & factorū omniū ad ipsum factorem comparatione. Quantò verò nos hanc similitudinē veriorē & exactiorem continemus, tanto proculdubio maiores & præstantiores sumus, & melius summum illud inter uallū inter factorem facta q; maximis illis animorum nostrorum spatijs dimetimur, quanquam ijs finitis infinitum illud penitus assequi nunquam possimus. Sed hac pulcherrima sanctissimaq; comparatione, maxima quæq;, & etiam hæc omnia simul, certè minima sunt, dum cum immenso rerū omnium authore conferuntur, modo verò nulla sunt, nisi quatenus ab eo dignitatem aliquam habent. Hinc ergo scimus nos nec alij nec nobis quicquam debere, si cum eo cui cuncta debemus comparemus: ita quantò sunt animi præstantiores, quantòq; maiestatē Dei magis admirantur & venerantur, tanto proprius ad eum accedunt & maiores & veriorem concipiunt effigiem & vim diuinam, & eatenus Deus etiā Opt. Max. iustum in nobis augmentum sumit, quod tamen, quoniam eò nos ipsi crescimus in eximiam felicitatis mēsuram, verè potius nostrum appelletur. Cū itaque bonum omne, præsertim illud summum, etiam secundum Philosphos, suapte natura libenter unumque sui quām latissimē participem reddat, varijs imaginibus sui, fit etiam quodammodo maius: sed cùm interim totum in suo principio semper perfectè maneat, imagines istæ, diuinæ similitudinis incremento, nunquam exemplar illud suum primum, cui nihil addi queat, cùm planè perfectum sit, perfectius reddere possunt: verū dum illud continenter imitantur, & effecta cum sua causa semper

I 3 magis

magis conspirant in vnum, & ad suam originem assiduo reuertuntur, continuo maiorem eius similitudinem & vim assumunt. Ita etiam homines vel dij vel dijs saltem proximi sunt, in quo quidem felicitas omnis eorum est sita. Sed quanto meliores sunt homines, seq; Deo magis summittunt, tanto meliorem suis cogitationibus & superiorum eum faciunt, quibus etiam ipsi meliores & superiores sunt, in quo vis honoris elucescit. Honor enim omnis existimationis verus est comes: existimatio vero dignitatis interuersus mensurari cupit, & dignitas omnis in aliquo bono suam omnem naturam habet. Cum autem summo bono cuncta debeat, quantoq; meliora sunt quæq;, tanto proximiorem eius similitudinem gerant, eatenus illis, propter illud summum tamen, iustitia proximos etiam exhiberi vult honores: atque vt hæc iustitia pars est maximè diuinæ, sic eius vibratione nihil deterius inuenitur. Itaque videmus Deum Opt. Max. superbiam & superiorum contemptum esse maximè detestatum, & ijs etiam fuisse grauis simè semper infensum, qui superiores honores q; deceat inferioribus, præsertim ijs quæ mente carent aut mala sunt, exhibuerunt, ac viuis supremita gratia non omnia fecerunt. Hinc est quod incorporatorum & dæmonum cultu sit tantum impietatis crimen. In omnibus igitur cogitationem omnem ad Deum Opt. Max. conuertamus, & omnes alios quatenus eius participes sunt, obseruemus: quatenus in qua eius participes sunt, & honores quibus afficiuntur ad illum ipsum referre & possunt & volunt. Nam quæ duabus istis conditionibus carent, nullus mentis compos vñquam affecerit honore, quoniam eum ad suū illud principium nunquam transferunt, sine quo vere nullus esse potest. In ijs vero quæ ratione vtuntur, merito primùm admiramur partem maximè diuinam, sed tamen etiam eius causa corporis laudamus & hæc externa, quæ quidem animo non

non tantum ornamento sunt, sed & insignem aliquam illi conferunt potestatem: potestas autem vere magnum quippiam in rebus humanis est & diuinum. Verum & hic præcipue & alibi semper diligenter cauendum, ne iustum modum excedamus. Nam cum tria genera honorū sint, quæ admodum iam saepe diximus, quæ personis suam afferunt dignitatem, inter quæ corporis & externa postremum locum tenent, pleni libri sunt eorum exemplis, qui tam vehe menter venuitatem, pompam & diuitias admirati sunt, vt meritò sint ab ijs qui recte iudicarūt impietatis summo crimen condemnati. Reliqua nimur omnia propter animum, animum propter Deum suspicere debemus, non in illis infimis vñquam hærere, non ea quæ facta, nec interdū admodum eximia, factori, non humana diuinis præferre. An autem quis honorem ipse sequi debeat nondum omnibus satis cōstare videtur: nam multi sunt grauissimi authores, qui contra gloriæ appetitiam multa scripserunt, & tandem eam etiam ijsmetipſis scriptis non mediocriter affectarunt. Sed non omnis honos eiusdem conditionis haberi debet: alius enim solidus & honestus est, alius est ab hoc longe diuersus: atqui veri honoris cupiditas quomodo laudabilis non sit, qua quis & optimus esse, reliquosq; factis aut scriptis meliores reddere, nec non in animis honorū quam latissimè diutissimeq; versari velit. Vanus autē honos, qui non summum bonum sed imum aliquod respicit, qui falsis opinionibus nititur, diuturnus esse nequit, & est plāne vituperandus. Ergo curandum, vt ipsi quam optimisimus, & viris diuinis, sed propter Deum ipsum, honorē exhibeamus, nam ita nos meliores, & eos in nobis tanq; maiores reddemus. Cum autem multiplex dignitatis discrimin sit, eo distinguēdi sunt honoris quoq; gradus, diligēterq; considerandum, non tantum quis sit is cui exhibetur honor, sed etiam is, qui est eum exhibitus, quod interuersus digni-

## DE REPVB.

dignitatis inter vtrunq; cognoscamus, & excessu vniuersi honorem dimetiamur: nam pares eodem sese inuicem debent excipere modo, tantoq; honorificientius singuli, quanto sin gulis dignitate sunt superiores. At cum inter Deum & homines nulla comparatio sit, manifestum est, quod nos omnes illi pares, hoc est quantos possumus, honores exhibere debeamus. Sed in hominibus conferendi sunt diuersi dignitatis gradus, & ita de hac iustitiae parte, quae circa honores versatur, iudicandum. Quamuis autem honor ab existimatione hominum profiscatur, haec vult externis quibusdam inditijs demonstrari. Honorem itaque exhibere dicimus, dum lingua gestuq; nobis alios esse maiores significamus, & locum illis superiorem damus. Sed querere posset hicalquis, pro honore exhibito, quam iustitia postulet fieri compensationem. Omnes enim actiones bonae premio quodam dignae videntur, quod quidem ab eo, cui seruit, requirant. Verum rursus non videtur ex eo quis debitor alterius fieri, quod accipiat id quod sibi debetur. Quod autem pro dignitate cuiusq; cuique debeat honor, iam satis est manifestum. At oportet vt tanto quis melior sit, quanto maiores honores meretur: quanto vero melior est, tanto proculdubio sua bonitatis alios libentius participes reddit: alios inquam, non omnes pariter, sed eos præcipue, qui sunt aptiores, vt eius participes fiant. Quod autem honorem exhibendo continuo reddamus aptiores & meliores, iam diximus, & hinc intelligere possumus ea iustitiae partem, quam nunc explicamus. Nam is cui exhibetur honor debitum accipit: is qui exhibet, quia melior fit, acquirit compensationem: hinc quoq; quid mereatur quidq; alios afficiunt ignominia facile deprehendemus. Quod si flagitiū est, non exhibere debitos honores, quid de illis dicemus, qui pro honore infamia reddunt: qua vix quicquam deterius ab hominibus expectari potest: siquid honor est præci-

## LIBER SECUNDVS.

37

præcipuum quoddam animorum ornametum, quod quidem reliquis corporis & externis debeat anteferri: nam videmus multos clarissimos viros mortem pro gloria facile contempnisse. Vbi tamen considerandum est, an id quod in vita nostra praestare possumus, plus boni contineat, quam infamia mali. Nam duabus rebus propositis, semper id quod melius est eligendum. Considerandum est etiam qualis sit infamia, & a quibus hominibus profecta: quemadmodum enim magna res est a bonis viris laudari vel vituperari, ita maledicorum reprehensiones non sunt adeo magni facienda. Primum curemus, vt infamiam non commireamur: deinde, vt etima a bonis viris laudemur: qui quidem singuli, quam plurimi homines mali, plus poteris habent: itaq; eorum iudicio freti, contumelias maleuolorum facile negligimus. Verum paucissimorum hominum virtus est adeo nota, quin detractionibus facilime laedatur. Intantibus enim hominum vitijs & sceleribus, omnes ad malum, quam boni suspicionem paratiores sumus: & ideo nec malorum reprehensiones sunt omnino negligenda: præsterim cum ipsi quoque specie boni quemque facile decipere soleant. Itaque frequenter non satis manifestum est, quisnam melior sit, is qui dieit iniuriam, an is qui cogitur eam audire: & etiam si manifestum sit, multæ circumstantiae convenienter solent, quae magis incitent ad faciendum, quam ad dicendum: vnde facile suspiciones scelerum orientur. Cum autem apud omnes homines honor meritò plurimi fiat, quid quis potius quisq; quam infamiam, multa tolerare: & ita frequentissimas & maximas perturbationes ex maledicorum contumelij videamus. in ciuitatibus suboriri. Quapropter infamatores omnes in Repub. bene constituta seuerissimis legibus sunt coercendi: nam si capitali supplicio afficiuntur, qui fortassis argenteos aliquod surripuerunt, quibus supplicijs digni sunt illi qui famam tollunt?

K

qua

## DE REPVB.

quæ quidem innumeris modis præstantior est, nec perinde, facile restitu potest, præsertim cùm illi multò magis quam fures & latrones Remp. perturbent: quod si latius ostendere velim, facile cuius persuadere possem: sed sine meavel cuiusquam oratione satis manifestum est omnibus, qui aliquam dignitatis suæ curam gerunt. Quapropter non satis mirari possum, quod de multis rebus minutis passim multæ leges sint, & satis diligenter obseruentur, in his verò maximis, desiderijs eorum qui veram laudem & vtilitatem publicam maximè sibi proponunt, minimè satisfiat. Tanta nunc enim, tamq; impunita male loquendi libertas est, vt nec ijs nec hominibus parcatur: quasi verò non sat is turpis rerum nostrarū facies sit, nisi mutuis opprobrijs eam defoedari sinamus. Verùm hæ querimoniæ tametsi iustissimæ, longiorem orationem requirunt, quam vt hic à nobis sint explicanda. Quanquam autem ignominiae multis modis fieri possint, lingua paratissimum est earū instrumentum. Quapropter curandum est à legislatoribus, vt ad eas minùs accommodatum fiat: quod etiam in reliquis instrumentis vitiorum est obseruandum, ita tamen vt consideremus, an Reip. maiorem aliquam vtilitatem adferre queant. Nec igitur vél oculis vel manibus vel pedibus est facile quis priuandus, sed ijs quæ magnum adiumentū non adferunt ad vtilitatem communem: vbi tamē perpendendum est, an eadem instrumenta sint, quibus aliquis peccauit. Quanquam furibus aures tolluntur, ad furtum non ideo minus apti fiunt: sed qui lingua mutilatus sit, eā non amplius alijs iniurias dicet: nec inde proueniet incommodum aliquid ciuitati. Nam qui malè loqui consueuit, nunquam bene loquendo Remp. vehementer iuuabit. Reliqua multa vitia, in corpore, in rebus externis sëpe magnas occasiones habent, quibus sublati remedium habere solèt. At maledicentia potius animi vitium est, qui ex eo capiat voluptatem

## LIBER SECUNDVS.

38

voluptatem, quod sine suo emolumento reddat alios detersiores: si quidem deteriores homines infames sunt, ijs qui cum gloria viuunt. Sed tamen & hic quoq; sese occasiones offerre possunt, vt si quis priùs damnū perpessus sit, aut in iuria sit affectus. Atqui non tantùm dictis, quanquam his frequentijs, sed etiam factis infamia quis notari solet: in quibus etiam omnibus videnda sunt ea, quæ de gradibus virtutum & vitiorum priore libro dicebam, & efficiédum vt in his rebus maximis minimè peccetur. Pondus infamiae illatæ diligenter examinandum est, vt eo suppliciorū modum aestimemus: plurimis enim hominibus maiore specie, q; verè sit, offerre sese cōsuevit: quoniam omnes motus animalium nostrorum, vbi semel impetum acquisierint, libenter modum suum excedunt. Opinio quoque magnum in his rebus affert momentum, qua multis persuasum est, citra maiorem iniuriam, illatam infamiam vindicari non posse: qui scilicet nequeunt rerum vires exactè dijudicare. Cùm autem gloria quemuis euehat in sublime, quātò magis infamia deprimit, tantò fuerit maior. Videndum est igitur quam altum dignitatis gradum tenuerit quisq;, & q; magnis spatijs ab eo fuerit deiectus: quod ipsa rei turpitudine demonstrat, si cum priore gloria conferatur, & inter utramq; medium spatium mensuretur. Turpitudinem autem intelligere debemus, quatenus alicui iam adhæret: nā quæ propter manifestam integritatem vitæ, cum qua nullo modo congruere potest, facile diffuit, non est tanti menti, si quidem eam omnes falsam esse sciunt. Attamē interim infamator est acerrimè puniendus. Leges enim delicta considerant: etiam quatenus Remp. lādere possunt: & is qui lādere cupit homines manifestæ probitatis, alios obscuriores multò facilius aggredietur. Ita non tantùm ob effecta præterita, sed futura potius homines mali supplicijs afficiuntur. Considerandum est etiam ad infamiae magnitudinem

K 2 tudinem

## DE REPVB.

tudinem cognoscēdam, quisnam eius fuerit author: Nam si reliqua paria sint, quanto hic inferior fuerit, tanto deprimit magis: si quis decimum gradum teneat, & infra eum qui quintum habet, fuerit deiectus, manifestum est, quod inferiorē locum obtinebit, quād si infra eum qui septimum aut octauum possidet, eodem spatio distaret. Itaque superiores, vt principes, multa citra infamiam, p̄fertim infimis hominibus, facere possunt, quoniam eō non reddunt hos inferiores, si tamen interim nullum vitæ turpitudinis sit argumentum. Sic ergo res & personæ sunt hīc diligenter conferendæ, quod melius & horum malorū magnitudinem intelligamus: & pro meritis à legibus supplicia cōstituenda sunt, & à magistratibus executioni diligenter mandanda. Quod si fiat, non erit quod priuati ob iniurias acceptas ipsi vindictam sumant. Nemo enim ferme tam inhumanus est, quanquam sit iniuriam perpessus, quin, cūm videat alium ob id ipsum in calamitatibus possum, sibi satisfactum esse putet. Sed nos iam ylterius pergamus, & reliquorum etiam beneficiorum vim & naturam consideremus. Nam si quædam solo honore cōtenta sunt: ea scilicet quæ cūm indeficiēt vita fruantur, opera nostra nō habent opus, inter homines certè nemo tam perfectus est, quin alterius adiumenta requirat: nā nec summi principes, sine multis subditis esse possunt & sanctissimi viri hīc multa quæ ad vitam necessaria sunt, ab alijs quotidie sumere coguntur: ita fit vt non tantūm honorem mereantur, sed vt nostrum etiā subsidium exposcant. Quatenus igitur aliquis p̄stantior, & nobis vtilis est, nec operā nostram requirit, eatenus honor solus, alioqui potius opera nostra quæpiam illi debetur. Cūm autem nos non vni tantūm, sed plurimis seruiamus, perpendicularē est, qualis sit quisq; & quomodo nobiscum cōiunctus. Nā videmus in reliquis rebus & in corporibus humanis, partes proximas,

## LIBER SECUNDVS.

39

mas, & ijsdem operationibus magis destinatas, in malis qui dem pariter affici, & in bonis à se inuicem potius iuuari, & tamen nobilioris totiusq; incolumitatem semper p̄ferri. Ergo per dignitatem cuiusq; quæ sibi ipsi sufficiat, honoriis discrimen, & per vtilitatem publicam vel priuatā quam afferit quisq; si nostram operam expetat, illius compensationem inueniemus. In vtilitate verò publica magnum est inter ciues discrimē. Non enim pariter in priuatos omnes redundat, & eatenus tamen ab ijs compensationem suam meretur. Cōseruatores Reip. maius beneficium in potētes & diuites conferunt, quād in eos qui non magis ab vna q; ab alia Rep. p̄dēnt: & id est quod antea dicebamus, qualis quisq; est, talem operam & compensationem ab eo desiderari, à superioribus nimirum superiorem: vt qui plus accipit in Rep. plus etiam reddere cogatur. Nam ab hac iustitię parte, quam distributiuam appellant, Geometricam analogiam obseruari dicūt: quod quidem quomodo verum sit, iam paucis considerare libet. Vocant autem Geometricam analogiam, cūm quemadmodum primum ad secundum, ita se tertium habet ad quartum, & quemadmodum primum ad tertium, ita quoq; secundum ad quartum: quod in monade, dyade, tetrade, & ogdoade cernere licet, si isti numeri inter se conferantur. Eiusmodi numerorum comparationes Platonici medietates appellant, ac ijs omnē rerū naturam in vnum coniungunt. In medietate Geometrica, qualis est numerorum, talis est differentiarum analogia: dyas enim ad monadem, & tetras ad dyadem duplam analogiam facit, & inter tetradiis & dyadiis differentiam, & eā quæ est inter dyadem & monadem, eadē est analogia: idq; etiā in reliquis omnibus Geometricis numeris vñi venit. Cūm autē in hac distributione, de qua nunc agimus & res & personæ considerandæ sint, oportet vt hīc ambarum differentię similem analogiam obseruent, & quemadmodum

K 3 persona-

personarum dignitas est diuersa, sic & res inter se differantur: res inquam, & quæ dignitati cuiusque debentur, & quas dignitas alijs debet. Iam constat dignitatem personarum vel ab animo, vel à corpore, vel à rebus externis prouenire, & nec externa cum corpore, nec corpus cum animo rectè conserfi, nisi quatenus deteriora præstantiorum instrumenta quædam esse solent: ita qui pecunijs abundat, facilius sanitatem adipiscitur, & auxilia multorum hominum, quæ statim quoque potentem eum reddunt. Ergo consideremus quæ bona quisq; possideat, & inde quid ab unoquoq; iustitia requirat inueniemus. Ab eo quianimo corporeaque multū valet & diuinitijs abundat, iustitia postulat, vt alios meliores reddat, in periculis defendat, in penuria subleuet, & honore sit ipse contentus: qui tamen tantò maior sit, quantò is cui debetur præstantior est, & aliorum bonis minus habet opus: sic vt semper rerum & personarum eas analogias seruemus, de quibus iā dicebamus. Sed cùm hic nemo tam felix sit, quin aliorum auxilijs illi sit opus, considerandum est, quibus maximè rebus indigeat quisque, & quis illi cōmodissimè opem ferre possit, vt omnium ciuium defectus, aliorum tanquam excessibus suppleatur, & si fieri potest in tota Rep. nihil omnino desideretur, sed dandi accipiendiq; vicissitudine in vnum perfectè cuncta consipient. Ergo perpendat quisque quid præstare possit, quod alias requirat, & in eo distribuendo Geometricam analogiam obseruet: at si reliqua paria sint, illi qui magis opus habet, potius succurrat: si vero reliqua paria non sint, discriben omne personarum diligenter animaduertat, & illi bonorum distributionem accommodet. Discrimen autem illud in bonis est, & eorū vario defectu. Defectus solus nihil omnino meretur, cùm ipse tantum inanē quandā habeat naturam: sed vnius boni defectus cum alio bono coniunctus, à viris bonis suppleri debet, vt cum virtute paupertas aut

aut ægritudo. Considerandum itaq; quis defectus cum quo bono sit, & secundum analogiam Geometricam est illi subueniendum, tanto scilicet magis, quātò bonum est maius, cum quo coniungitur, & etiam quātò maior est defectus. Ita quanto quis melior est, tanto potius vel sanari vel ali debet, & etiam quanto ægritudo vel fames fuerit maior. Itaque si bonorum & defectuum numeros omnes cognoverimus, facile secundum iustitiam omnia distribuemus. Debet enim talis res distribui, quæ supplet defectū, & secundum eam, de qua diximus, analogiam. In reddendis autem beneficijs non tantum personarum, sed habenda ratio beneficiorum acceptorum, vt hæc & illa similem teneant analogiam. Si ab uno duplo maius quam ab alio beneficiū fuerimus adepti, vtrumq; simili quadam analogia compensemus, & illi à quo duplum accepimus, duplo magis q; alteri reddamus. Præstaret quidem eadem mensura in accipiendo & reddendo beneficijs vti: nam æquabilitas monadē, rerum omnium conseruaticem proximè refert, & ipsa est omnis analogiæ procreatrix, cùm ab ea numerorum omnes cōparationes defumantur: sed iustitia non constringit nos ad ea quæ nullo modo fieri possunt. Fieri vero nequit, vt semper omnibus parem gratiam referamus. Attamen intenti volūtas referendi saltem par, imò potius maior esse debet, vt animis suppleamus, quod rebus ipsis deest. Ergo cùm perfectam æquabilitatem adsequi non possit hæc natura, sed ad vniuersi complémentum oporteat esse diuersos rerum & personarum gradus, qui tamē omnes per analogiam mutuam pulchrè conuenient in vnum, id etiam in operationibus nostris diligenter obseruabimus, vt si nō possint esse pares, saltem iustis suis numeris sint dimensæ: quod si quis duobus quid debeat, quod omnino personae non possit, debitorum analogiam consideret, & eam omnem soluendo seruet. Debita vero nascuntur ex obligatiōnibus,

Obligatio  
nibus.

## DE REPVB.

nibus, quibus aliquis constringitur ad aliquid faciendum aut permittendum. Obligationes partim solius iuris naturalis sunt, quae communis tantum æquitatis vinculo continentur, partim etiam ciuilis, quæ positiui quoque iuris auctoritate constituuntur. Naturali obligatione parentibus vitam & educationem debemus, & ipsi nobis similitudinis suæ propagationem & conseruationem. Principibus Rei q; pub. nostri tutelam & hanc ciuilem felicitatem referimus acceptā. Hic autem præcipue necessitas & dignitas cuiusque consideranda venit, vt scilicet indigentiori meliorique potiū opem feramus, quemadmodum antea dicebam. At magis quemque sibi quam alteri succurrere poscit ipsa natura. Nam si necessitas aliorum suadet, vt illis si possumus opem feramus, nostra vult vt potiū nobis consulamus. Iam cùm vel singulis singuli, vel singuli multis, vel multi singulis, vel multi multis obligati simus, manifestum est quod commune debitum, si reliqua paria sint, debeat ab unoquoque præferri. Rursus cùm aut nobiscum nascantur obligationes, aut postea contrahantur, haec quoq; diligenter fuerint inter se discernendæ. Inter eas vero quæ postea contrahuntur, virtus principem locum tenet. Itaque diligenter perpendendum, quantum quodq; valeat, & quod cui sit præferendum: personæ cum personis, res cum rebus, & haec cum illis sedulò sunt cōferenda. Multum quidem prima natura potest, plus tamen virtus & plurimū utilitas communis, à qua quidem virtus se iungi nequit. Itaque clarissimos viros legimus interdum etiam proprios filios, & se pro virtute Req; pub. certæ morti, non tantum periculis obiecisse. Ipsa vero dimensio beneficiorum difficultis non est in rebus istis externis, quandoquidem eam nummorum vsus egregie demonstrat, cùm in suas partes diuisi sint, quibus etiam conueniat estimatio rerum. Si quis enim vnam aliquam mensurā teneat,

## LIBER SECUNDVS.

37

teneat, non erit difficile ea internoscere, quibus illa potest accommodari: sed corporis & animi bona longè difficulter estimantur. In omnibus autem necessitas & vsus atque facultas tam dantis quam accipientis consideratur. Sanitas & vita necessaria quidem sunt, nec ea quisquam cum exterioris bonis permutarit, cùm tamen faciliter q; pecunia medicus inueniatur, & ex multis vnu eligi possit, hinc est quod huic moderato precio satisfiat. Nō enim tanti costat manu admouere medico, quam agroto pecuniam querere: nec etiam dat sanitatem medicus, sed operam suā præstat, quae potest nummis cōpensari. In reliquis etiam artibus idē perpendendum, quam necessaria scilicet egregiaq; sint opera, quamq; vehementer hic operam, estimationem ille requitat, vt nec vnu alteri plus vendere, nec alius iunde viliori precio cōparare possit. Idq; semper tenēdum est, siue res vel operas inter se, siue res operis aut contraria, vel hæc omnia pecunijs estimemus. Aequitas semper medium hic locum inter lucrum atque damnum habet: & hinc est quod in iustitia commutativa dicunt Arithmeticam obseruari analogiam. Qui rem venditam tradit, eatenus damnum patitur, quoniam bonis suis destituitur, sed hoc damnum pretio accepto restituitur, ita emptori quoque pretium traditum estimatione rei cōpensatur, & vterq; quodammodo inter lucrum & damnum consistit. Quod si vero quædam intollerabilis inæqualitas sit, æquitatis minister vni tūtum damnū, alteriq; tantum adiudicat lucri, quantum sufficiat ad ratione consentaneam æqualitatem: sic à medio sunt vtrinq; pares lucri danni q; portiones, quæ cum differentijs numerorum Arithmeticorum similitudinem gerint. Lucrum enim vnius alterius damno par est, & vtrunq; iudex in locum alterius vicissim commutat. Eadem etiam in operis ratio manet: temporis enim & laboris iactura damni vice gerit, quæ semper vult alio lucro cōpensari. Tametsi vero

L corporis

## DE REPVB.

corporis & animi bona cum externis bene nequeant æstimari, tamen his illa faciliter comparantur, ut antea dicebamus, & apud pauperes certe non exiguum momentum habent, ac ideo numerantur in partem compensationis. Videntur itaque quantum unumquodque, tum publice, tu apud utrumque priuatim valeat, & rerum actionumque dignitas utrinque diligenter est perpendenda. Nam circumstantiae variae sunt & argutæ, quæ non nisi oculis valde perspicuis & acutis cerni volunt. Duplex autem obscuritas hic proponitur, altera voluntatum, altera reliquæ naturæ, & utraque magnam intelligendi lucem requirit, anteque bene possit cognosci. Nam quanta sit in rerum natura difficultas, sciunt illi qui multum in ea cognoscenda laborarunt. Voluntates vero tanto sunt etiam obscuriores, quanto causas minus certas & necessarias habent. Sed oportet ut hec se semper accommodent ad rerum propositarum naturam, & ut omnia pulcherrimis analogijs in absolutissimam universitatem faciem componantur. Voluntates humanæ tanquam artifices sunt, quibus natura rerum gerendarum accommodatissima præbeat instrumenta. Oportet autem non tantum ut artifices singuli cum suis instrumentis, & quemadmodum hæc sic etiam illi inter se conueniant, sed etiam ut suppleat industria, si quid forte desit: ita ex multis & variis instrumentis una quædam officina fiet omnibus rebus instruta, & ex multis operibus unum absolutum opus, cui multi artifices diuersis ordinibus, locis & temporibus, unanimiter praesint. Ordines diuersi diuersæ resp. sunt, quæ singulæ singulis ciuilibus, omnes autem communibus gentium naturæ, legibus, tanquam artis præceptis vntuntur, ad totius humanæ Reip. finem atque felicitatem, dignitatemque totius operis magistri. Is multa vita præcepta naturæ rationisque tabulis inscripsit, quæ vult ab omnibus hominibus seruari: quædam etiam descripsit literis magis arcanis, quæ

tantum

## LIBER SECUNDVS.

38

tantum intelligent ijs, quibus sunt animi quam reliquis magis diuini. Ita gratiarum, rationis naturæque, legibus in unum omnia coniunguntur, quibus oportet ut consensu quoque sit voluntas humana: in consensione vero voluntatum cum dignitate rerum & personarum iustitia versatur, & in circo rerum universa natura debet a legislatoribus & magistratibus considerari, sine cuius cognitione frustra nos speramus res vel publicas vel priuatas recte constituere possemus. Sed quoniam iam breuiter demonstrauimus, quomodo secundum dignitatem rerum & personarum omnibus omnia iustitia distribui velit, nunc reliquam equitatis partem in pactis sitam consideremus. Definimus pactum ex sen.<sup>Pacto.</sup> tentia iurisconsultorum, iustum duorum aut pluriū consensum. Cōstat autem quod humana natura in res omnes inferiores suam potestatem habet, quæ quanquam in omnibus hominibus æqua fuerit ab origine, proprietatibus rerum introductis, in multam inæqualitatem est diuisa. Ratio vero communis hoc postulabat, & in id ipsum publica gentium potestas quoque cōspirabat, ut, quod terra melius coleretur, & homines inter se minus decertarent, quisque liberè frueretur ijs rebus omnibus, quas iure possideret, nisi diuersum utilitas publica suadeat, propter quam est proprietas dominiorū instituta: semper enim fini, quæ hic esse dicimus Reip. felicitatem, omnia quæ contendunt ad eum, accommodari debent: verum in ijs quæ libera relicta sunt, non æquabilitas, sed dignitatum potius gradus sunt observandi. Propter naturam humanam omnes parem habemus potestatem: quatenus enim homines sumus, nullum inter nos discribenus, propter acquisitam alij tenent alijs superiorē: superiorē inquam, non in ea quæ prioris ordinis sunt, nam acquisita natura communem illam humanam, ab origine nobis insitam, cuartere nequit, sed in ea quæ prioribus æquabilitatis legibus non sunt definita. His

L 2 concess.

## DE REPVB.

concessum quidem est, ut quisque quod iure teneret, possideret & liberum recte vtendi transferendiq; potestatem haberet, quæ par etiā in omnibus hominibus esset, quemadmodū & humana natura. Sed cùm hæc aut melior aut deterior, vel à natura singulari fiat, vel institutione, illud discrimen operationibus quoq; nostris sequi debemus. Si ponderis eiusdem omnes essemus, primam illam æquabilitatē tantum obseruaremus, nunc quoniam alij sunt alijs meliores & diligētores, hinc est exortum magnum dignitatū discrimen. Nec tamen iccirco, quia magnum hīc personarū rerumq; discrimen est, æquabilitas prima non seruatur: nā omnium consensu cuique quod ex communib; occuparet est iure cōcessum, in eoq; communi pacto par fuit, aut esse debuit, singulorū hominū voluntas. Sed quia præter illam communem naturam multis modis homines inter se differunt, hinc est quòd per voluntatum omnium parens consensum, alij sint alijs superiores, qui nimirum virtutibus antecellunt, qui in occupandis communib; fuerunt diligentiores, & hominum voluntatem fortunamq; magis habuerunt aspirantem. Sed tamen semper æquabilitas prima voluntatū nihilominus manet, qua cautum est, ut quisque suis vteretur vt proprijs, communib; vt cōmunib;, & ab alienis prorsus abstineret: vt in res suas omnem honestam in alienas in uito domino nullam libertatem haberet: sic est æquabilitas omnium seruata. Nō enim vnuſ alia na magis quam alius inuadere, nec suis minus vt potest: sed tamen in alienis æquabilitas est maior. In ijs enim non vnuſ plus quam alter potestatis habet. Nam leges tanquam rectissimæ quedam regulæ sunt, secundum quas vitā suam componant omnes ciues, sic vt si nec in hanc aut in illam partem vnuquam inlectant. Leges autem potius quenque prohibent inuadere aliena, quam vt aliquem hoc aut illo modo cogant administrare sua. In his enim hominibus est relicta

## LIBER SECUNDVS.

39

relicta magna libertas: quoniam non tam interest tranquilitatis cōmunitatis, ciues rebus suis quam alienis abuti, quòd quisque difficultus suorum quam alienorum iacturā ferat. Quanquam autem in rebus nostris larga nobis est vtendi transferendiq; relicta potestas, attamen in ijs diligenter rerum & personarum discrimen obseruare debemus, vt quantum personæ singulæ, tantò sint & ipsæ quoq; res maiores, quemadmodum antea dicebamus. Sic cùm ab uno cuncta facta sint, per analogiam, que proxima monadis est imago, cōspirant omnia mirificè rursus in vnu: sed minimā quæq; vt obscura sunt & fermè infinita, à legislatoribus sunt neglecta: reliqua verò maioris momenti certis vitæ cōmunitatis præceptis sunt definita, in quibus nullū agnoscit debet per sonarum discrimen. Nam quanquam leges de personarum discrimine promulgatae sint, in ijs obseruandis iudex nullā differentiam agnoscit. Si quid autem ipse liberum habet, quoniam enim leges estimationem singularum rerum definire non potuerūt, eius interpretationem sæpe ministris suis reliquerunt, in ijs cuiusq; dignitatem etiam sequetur. Leges autem nunc voco, non tantum que scriptæ sunt, sed que in eiusmodi negotijs legislator fuerat scripturus, quandoquidē intersit Reip. sic ea seruari. Sed nunc quid in contractibus, ex quibus omnes fermè lites oriuntur, tenendum sit, consideremus. Primum dubium esse nequit, quin vt in reliquis omnibus, sic & in voluntatibus humanis debeat aliquis esse propositus finis. Cùm igitur bonum omnium rerum finis sit, oportet, vt ij qui contrahunt, cum quoque sibi proponant. Itaq; cōtra religionem, naturam, Reip. vel contrahentium omnium utilitatem, pactum nunquam esse debet ratum, vt si ad impietatem aut alicuius rei inutiliter interitum contendat: in utiliter autem interitum voco, qui causa non est alterius alicuius boni: nam in natura, quā nos omnes imitari decet, quicquid interit semper ad alterius

L 3

pro-

## DE REPVB.

procreationem cōducit. Non igitur legitimis pactis quicq; in vniuersa rerum natura deterius fiet, nisi transeat in alterius alicuius aut in communes v̄sus, præcipue verò communes, qui semper priuatis sunt anteferendi. Itaque si quid quibusdam vtile futurum est, sed Reip. damnosum, nunq; vlo modo fuerit à legibus admittēdum, nec etiam aliquid quod vtriq; contrahentium est obfuturum: nō autem est verisimile, quod aliquis sanæ mentis seipsum vñquam lædere velit. Verùm cùm multiplex damnum, animi, corporis & externum sit, eumq; mīnimum animi bonum malum reliquis omnibus vel maximis multò maioris sit momenti, permittendum non est, vt quis animo deterior sit, quo vel ipse vel alius aliquis alijs bonis abundet. Si verò dixerit quis, malum, potiū quām in operationibus, in ipsis voluntatibus esse, quæ nulla legum humanarum vici cogi possunt: responderim, operationum & euentorū causa voluntates se fermè flectere vel in hanc vel in illam partem, nec illis impeditis has admodū solitas esse cōmoueri. Non igitur quicq; quod ad malū exitū tendat ferendū est, nec etiam corporis detrimentum pro emolumento externo, nisi fortassis corporis damnū externis bonis possit compensari. Ita pro diuitijs, quibus ad vitam necessaria comparantur, varios labores suscipi videmus, & in cōmercijs alios quidem labores & molestias vtiles, alios pro ijs diuitias polliceri: vtiles autem voco, quæ profint quidē alteri, pro quo suscipiuntur, nec tamen yehemētiūs, quām par est, suo no[n]cent authori: nam si quis aliquid promiserit, quo valetudinem suam insigniter frangat, & ipse profectō insanus & alter iniquus sit, si pactum feruari velit: si quis tamen sui corporis aliquo detimento possit incolumitatem & vitam alterius præstantioris tueri, recte fecisse dicetur, si pro ea non dubitauerit quoduis vītā discriminē subire. In animi verò bonis, hæc comparatio locum non habet: non enim per vi-

tium

## LIBER SECUNDVS.

40

tium vnius alter melior reddi solet. Considerandum autē est, quales res sint, de quibus paciscuntur, & an per pacta Reip. minus vtiles sīat, vt si de interitu alicuius rei qui nulli seruiat, inter se consentiant. Nihil enim per cōtractus in tota Rep. deterius fieri, sed vnius alicuius damnum in alterius utilitatem transire potest. Hæc externa quanquam dominos mutant, ipsa tamen manent, & etiam si mutentur, transeunt in alios v̄sus communes, quod ni fiat, non debet permittere leges, vt quis stultis suis pactis naturam rerum peruerat. Quanquam autem cōtractus nunquam quidq; in vniuersum deterius facere potest, quod tamē priuatum incommodo Resp. iuuari debeat, etiam Apostolus satis probat, dum pro Iudæis suis se libenter etiam anathema futurum dicit, nimirum si id postulet prouidētia Dei. Sed vt reliqua cuncta, sic & hoc pulchrè factum est, vt qui salutem suam pro communi salute Dei q; gloria exponere non dubitant, quoniam viri boni sunt, eo solo magnum bonū cōmereantur & adsequantur: at qui sibi potiū quām alijs & Deo student, eò quidem statim & ipsi mali sunt, sibiq; mali plurimū accersunt. Singula diligēter cum alijs conferenda sunt, & semper minus malum bonumq; præstantius est eligēdum. Quisq; res externas omnes perdat, quanto tueatur hominem, & lēdat alienum, quo ciuem & Christianum iuuet, & potiū sibi consulat & amicis, quām alijs & inimicis: sic tamen, vt communis iustitia non violetur. Non enim quod iuuenimus amicos aut inimicos lēdamus, alijs iniuriam inferre debemus: quod si amici priuati sunt, inimici verò principes & viri boni (nam etiam inter optimos contentiones suscepimus esse videmus) equidem cōstat corpus vniuersum partibus, & partes præcipuas reliquias, & virtutem vitijs, & gratiam Christi reliquias omnibus debere præferri. Per corpus autem vniuersum, non vnam tantum aliquam intelligimus, sed totam etiam Remp. humānam.

## DE REPVB.

niam. Itaque si quid vna Resp. cum alia, suis etiam cum hostibus, legitime pepigerit, quamquam cedat in alterutrius aliquod detrimentum, seruandum tamen est, quoniam id postulat vniuersa societas generis humani. Ut autem omnia quam optima sint, dignitatum gradus inter se diligenter conferendi sunt, quodque in tota melius est vniuersitate perficiendum à p̄stantissimis hominibus, & ijs qui sapientia reliquos antecellunt. Verū quoniā pauci tales nunc in rerum natura sunt, & se leges accommodant temporibus & locis, ideo si non optimum, imo ne bonum quidem sequamur, contractus saltem causa non sint evidētis mali: evidētis in quam, quoniam, ut diximus, minutissima quæq; nec legibus comprehēdi, nec ab hominibus etiam interdum acutissimis cerni possunt: sed iam pro instituto fermè scimus, quisnam omnium contractuum sit præcipuus finis: is enim quamuis in omnibus operationibus omnium est postremum, propterea quod re cum effēcto plenē conuenit, quemadmodum Philosophi dicunt, primus tamen in considerationem nostram venit. In contrāctu igitur omnes semper vtilem aliquē habeant sibi propositum finē, vel saltem nullius vñquam mali p̄beat vñllus contractus vñllam occasionem. Multa verò in rebus humanis tanquam indifferētia sunt, in quibus vix est evidētius bonum quam malum, quæ consensum etiam hominū firmum admittunt. Satis enim debet esse legibus, si peccandi facultas ciuib⁹ non concedatur. Cūm verò frequenter contractus, quemadmodum & ea quæ sunt in reliqua natura, multis ex partibus in vnum cōiunctis componantur, cōsiderandum est quid in vnoquoq; vel boni vel mali sit, & quid sine totius interitu tolli possit, vt cūm omnia singulaq; recte fuerint examinata, cognoscatur, quis contractus aut quæ pars eius rata debeat haberi. Partes autē nunc voco etiam cīrīustantias omnes, quæ in eiusmodi negotijs inci-

## LIBER SECUNDVS.

41

incidere solent. Efficiens causa post finem propositum suum locum tenet. Fine nempe recte constituto, ad eum statim incipit se commouere id quod perficiendi potestatē habet, quod quidem in contractibus est mutuus duorum aut multorū consensus: is si verus & legitimus sit, suapte natura confessim contractum parit, si verò nullus sit, nullus quoq; contractus esse potest. Oportet autem vt agendi vis cum fine bene consentiat, si modò pro voto sit eum vñquam adsecutura: oportet vt bonum, quod finem contractum esse diximus, in efficiente sit, priusquam hoc egregium aliquod opus sit aggressurum. Igitur eatenus saltem necessario quis bonus erit, quamvis alioqui malis multis imbutus esse possit. Cūm autem nihil tam malū sit, quod non sit particeps alicuius boni, siquidem illud nihil aliud quam inanis quædam carentia est, & hoc est omnium rerum causa, quemadmodum Philosophi dicunt, eatenus certe nullus à contractibus interdicetur. Itaque Christianus cum extero, de ijs quæ religionem spectant, pacisci nequit, quoniam alter est à fidei negotijs alienus. De prophanis verò rebus alter cum altero contrahere potest, quod licet non consentiant cum gratia, saepe consentiant, aut consentire possint, cum inferiore ratione. Malum autem cum bono, aut etiam cum malo, siquidem talē qualē illi dedimus essentiam habet, nunquam cōsentit, nisi quatenus aliquo modo refert naturam boni. Itaq; nec mali vñquā inter se coniungerentur, nisi alicuius gratia, quod illis vtile bonumq; videtur. Leges autem bonum nō quod videtur, sed quod verè bonum est sibi proponunt: & in ijs contractus omnes omnem suam firmitudinem ciuilem habent. Itaque confessim eos disfluere videmus, qui nullo iuri fundamento sustentantur. Verū cūm hīc in vniuersum de p̄ctis omnibus disputemus, in quibus dicimus esse propositum bonum aliquem finem, quicquid cacodæmones

M

nes

nes cum hominibus paciscantur, non videtur aliquam potestatem habere posse. Quemadmodum enim bonū omnia coniungit in vnum, ita malum suapte natura cuncta dissoluit. Diceret fortassis aliquis, tametsi dæmones ultimum aliquem malum finem sibi proponant, eum tamen pactis saepe nec contineri nec explicari, quemadmodum etiam in nostris rebus vsu venire solet. Cūm autem finis ab uno quoq; propositus alijs sit ignotus, non decet vt, quia fortassis malus sit si quis vterius prospiciat, ob id expressum consensum, cuius effectus alioqui suapte natura bonus est, non sinat esse ratum. Quod si vterque malum aliquod ultimum sibi proponeret, cūm nullū bonum ad aliquem malum finem institui possit, pactum non esset alicuius momenti: siquidem à fine suam omnem dignitatem aut indignitatem actiones & efficientia consequuntur: sed si alter aliter sentiat, non est necesse effectum omne secundum ultimum finem ab altero propositum aestimari. Proximior enim finis vtriq; propositus est, vt aliquid fiat, quod vel bonum est, vel saltem non est malum: & cūm in eum ambo consentierint, consentendi potestas, propterea quod vnuſ vterius ad aliquod malum prospiciat, quod hoc tanquam instrumento se consecuturū esse sperat, non videtur impediri, quo minus ad exitum suū perducatur. Ita si quid pactis dæmonum fiat, quod vtilitatem aliquam adferat, quanquam ipsi aliò respiciant, non fuerit, inquit nonnulli, à legibus interdicendum: quibus facile responderi potest. Primum, nihil vnuquam admittendum est, quod potius est causa mali quam boni: quod autem facilius homines decipientur quam dæmones, cuius satis est manifestum. Deinde vel sciunt homines cum quo contrahunt vel ignorant: si ignorant, cōtractus nullius est momenti: si sciunt, necessariū est, vt, qui cum eo qui planè malus est, cōsentient, mali protinus fiant, ad malū quoq; si nem

nem pariter contendant, & malis instrumentis malū opus confiant. Quamobrem si propter æquitatem diuinam, per vniuersam naturam disseminatam (qua caustum est, vt qui se malo summittit & ipse malū ferat) in eiusmodi pactis aliqua potestas est, in contrahentium perniciem valet. Certè videmus multos eiusmodi pactis in summum periculum, & in maximum malum incidisse. Non enim leges planè tollunt quod interdicunt, sed factori tantum pœnā indicunt, cūm tamen interim factum infectum non fiat. Quod autem malum nullam vim habere dicunt, verum est: ex pactis enim eiusmodi potius imbecillitas prouenit, quam virtus. Nam quantum quis dæmonis potestati se subiicit, tantum ab illa diuina potestate, à qua omnia suum robur habent, recedit: & de eiusmodi quidem pactis iam satis. Verū putant nō tantum pactis dæmones alici, sed etiam vi quadā, quæ sit in sacris literis, cogi posse: cūm tamen legamus magos quosdam Apostolorū verbis vlos, nullam potestatē obtinuisse. Nam in spiritu potius quam in literis vis illa diuina fuit. Dicunt etiā corpora nihil aliud quam similitudines quasdam æternorum esse, & hæc exemplaria semper cum exemplis libenter coniungi: sic rebus corporatis vires etiam incorporeas trahi, eumq; qui instrumenta ritè parare sciat, mira quedam opera præstare posse. Verū si diuinum inuentum est huic naturæ superius, sanctum aliquem authorem, si humanū, rationem aliquā proferat si possunt: in ijs enim quæ naturam superant, foli Deo credendum est, & diuinitus afflatis viris, in alijs autē etiam sensibus & rationi. Atqui in his prestigijs nec sanctitas nec ingenium locum ullum habet. Nam quod incorporeorum vires in corporum similitudines per accommodata media libenter cōfluere dicunt, & ideo Mathematica, quæ sint media quodāmodo inter corporea & diuina, secundū Platonicos hisce negotijs maxime conuenire, tanquam vin-

cula quædam, quibus incorporea in corporaturam trahantur, alio loco sumus latius consideratur. Illud autem hinc eos interrogauerim, qui sciant, quæ simulachra, quibus exemplaribus potissimum sint accommodata: nam natura, etiam ea quæ ratio nondum inuenit, actionum continua similitudine cognoscuntur: at ista Magica varia sunt & incerta, quæ nulla possunt arte comprehendendi, & artifex ille perditus, quem decipi cogi; putant, nequit rebus illis inanibus superari. Hæc igitur Magorum præstigia, cum nunquam utilia suisq; sint authoribus semper periculosa, sunt à legibus prorsus interdicenda. Verum ex impositione prima naturæ, quæ nunquam fallax esse potest, iustitia communis postulat, ut quod inferius est, semper obtemperet superiori. Angeli vero dæmonesq; natura sunt hominibus, homines autem animantibus alijsq; rebus inanimis superiores. Sed quia gratia superior est huic primæ naturæ, ea nimis homines præstantiores, dæmonibus etiam imperare possunt. Ex ijs autem quæ iam diximus intelligere quoque possumus, cur cum hominibus planè perditis contrahere non liceat, ut cum ijs qui ritè sunt ab ecclesia expulsi. Si vero bonum aliquod Deo Deiq; ministris promittamus, quod tamè alioqui necessariò faciendum non fuit, cum statim ipsi nobiscum consentiant, pacto satisfaciendum est, quatenus fieri potest. Insuper cum angelis & diuis, bonis operibus tanquam pacificimur, ut aliquid pro nobis per gratiam secundum prouidentiam Dei præstent: sic enim illis similes in unum consentimus cum voluntate Dei: sed hæc aliam altiorem considerationem habet. Satis autem sit nobis indicasse, quomodo bonum aliquod finis contractuum sit, & efficiens causa cum illo consentiens voluntas. Ut autem voluntas cum bono rectè consentiat, cognitione rerum propositarum nobis est opus, sine qua, siquidem mens tanquam oculus est, cæca voluntas non habet quod sequatur: constat igitur in vacua

in unam veritatis notitiam eos oportere conuenire, quicunque rectè sunt contracturi. Quapropter demetibus, ebris puerisq; secundum leges contrahere non licet, & restituietur in integrum, si quis certis argumentis ostenderit se turpiter esse defraudatum. Cur autem ipsa pacta non nunquam rata non sunt, interdum autem tametsi rata natura manent, ius ciuile remedium tradat, latius explicare ad iuris consultos pertinet, & si quis vim & differentiam iuris naturalis & ciuilis didicerit, eius causam facile cognoscet. Materia contractuum res est aliqua vel actio, quæ sit in nostra potestate. Inania nanque sunt omnia pacta de rebus omnibus, quas natura rerum nullo modo vel esse vel fieri finit. Sunt autem in nostra potestate, quæ industria laboreue comparare possumus, & hæc externa, quæ iure tenemus. An vero de voluntatibus nostris inter nos pacisci possumus, quare posset, ut si quis in posterum se matrimonium contractum esse pollicetur. At quomodo quis ut postea velit aut nolit, efficiat, hoc est, ut libera non sit voluntas humana? Ergo nec de pactis post tempus dissoluendis agere licet, quoniam requiritur liber consensus. De rebus autem omnibus voluntatis subiectis firmus potest esse contractus. Itaque non tantum res externas alienari, sed & homines ipsos alijs subditos & seruos fieri videmus, & ius etiam illud in ipsam posteritatem propagari: visum est enim æquum, ut qui patris dominus esset, in filios etiam parem potestatem obtineret, quod hi se parentibus, & parentes se dominis suis deberent. Sed prima vis animæ libera, qua velit quis aliquid aut nolit, vel à dominis intelligi vel cogi nequit: sed ad operationes quæ iam per instrumenta corporis manifesta fiunt, & aliquam utilitatem adferunt, pœnis propositis iure gentium compelli quis potest idq; est quod interdu Apostolus inter Christianos neque seruos neq; liberos esse dicit, & alibi jubet ut serui dominis suis diligenter obsequiantur: in-

telligens non in Christianitatem, sed in multas alias actiones humanas, hominum eiusmodi discrimen venire. Itaque summa liberaque potestas illa nunquam tollitur, sed quam uis illud vellemus, malum tamen hoc quam pœnam, in quam dominus potestatem habet, propter gentium & ciuium consensum, a quibus etiam, si sit opus, suppetias sit habiturus: ita corporis dominus actiones animæ honestas & etiam medias excitare potest. Ad vitia vero nullam quis authoritatem in alios, sed in se liberam potestatem, & propter hanc corruptam naturam, potius in deterius vergentem habet. Si tamen haec potestas, & non potius imbecillitas, debet appellari. Certè cum efficiens effecto natura simile sit, & in defectu vitium omne ponatur, eo necessarium est homines debiles, contraria vero per virtutem robustos reddi. Virtus enim diuinum quiddam est, & etiam omnis vera potestas. Per vitium igitur, cum istud inferiora suapte natura faciat omnia, quis alteri superior esse nequit. Cum autem iam circa materiam subiectam in contractibus versemur, quam in rebus & actionibus diximus esse, sumque res praecipua quædam sit cum actionibus animæ corpus humanum, ex ijs quæ diximus manifestum est, quomodo illud alterius imperio subiecti potest: nimis coru consensu qui subiecti potestatam habent. Habent autem potestatem gentes omnes, quibus certè singulos homines resistere non licet. Habet etiam quicunque liber est ab ipsa natura in suu corpus potestatē: immo etiam filios a parentibus virginē necessitate vendi posse ciuiles leges volebant. Verum propter libertatem Christianam, haec seruitutes a multis nostræ religionis gentibus sunt explosæ, quorum omnium causas latius explicare est alterius considerationis. Subditi vero quibusdam pactis se quodammodo redigunt etiam in magistratum & principum potestatem. Sed domini imperium longe diuersissimum est ab hoc imperio magistratus: hic enim tantum

tantum à vitijs quæ ladeunt euidenter Remp. & ad virtutes demum quæ magnum aliquod emolummentum allaturae sunt, ille vero ad suum commodum & ad res medias cogere potest. Ita magis liberam habet dominus in seruos suos potestatem. Magistratum enim potestas legibus ciuitatis seruit, & ob id subiecta quoque est ipsa ciuium legitima voluntati: ita ciuium reliquorum & magistratum potestates & seruitutes mutuam suam comparatione habent, quæ legum & æquitatis artissimo vinculo continetur: sed magistratum tamen potestas consensu populorum in ciuitate superior est, quoniam ipsi quamdiu magistratus sunt, alijs secundum leges imperare possunt. Verum quomodo quis sub alterius potestate fiat, & res suas pactis transferat, pro instituto iam est satis manifestum. Quamuis autem in aliena nullam authoritatem obtineamus, estimatio tamen, rei nomine intelligi solet, cum ipsam proxime referat, & saepe sit in nostra potestate: & ex his quidem contractu causis, eorum naturam omnem intelligere quis facile potest. Nihil enim aliud esse videntur, quam propter utilem aliquem finem voluntatum coniunctiones, de ijs rebus, quæ in arbitrio nostro sunt sitæ: quas quidem effecta quædam comitantur, quæ non mutantur, nisi à causis, quæ parem in diuersum potestatem habent: quoniam natura comparatum est, ut nunquam id quod superius est, ab inferiori vincatur. Oportet autem volūtates certis quibusdam indicijs ostendi: earum præcipuum indicium oratio est, cuius tamen etiam duplex est difficultas, una quidem in verbis, alia vero in sensu. Verba communis loquendi usus, sensum etiam ratio demonstrat: quod si vero haec cum verbis non cōsentit & exadiunctis antecedentibus & consequentibus aliquid euidentis sit, quod cum re proposita conuenire nequit, oratio fuerit in aliu sensum interpretada. Ergo non tantum verba, sed rationes negotioru inquirendæ sunt, & ita ex omnibus signis

## DE REPVB.

Signis diligenter inuestigandum est, quæ fuerit in contraria omnium voluntas: vt autem melius cognosceretur, formulæ quædam iuris fuerant olim adinuentæ, quæ si pauca sint, euidentes & quam maximè negotijs quotidianis accommodatae, varietatem illam litium procreaticem, & communis tranquillitatis perturbatricem, quam vehementissimè legislatores detestantur, procul excludent, & ijs certissimè facilimeq; quiuis vtetur. Tametsi verò iure gétium quisq; rerum suarum, & orationis liberum habeat usum, hic tamen vtilitatis publicæ causa certis terminis à iure ciuili potest definiri. Euidentia sanè negotiorum in iudicij; magnam autoritatem habet. Itaq; firmiora negotia sunt, quæ publicè sunt transacta, quæ literarum monumentis sunt mandata, quæ bonorum virorum testimonio, quæq; iuramentis sunt comprobata. Modus etiam dicendi in considerationem venit: quædam enim sic proferuntur, vt potius ioco quam serio dicta videantur, quædam etiam violenter extorquentur: at quoniam voluntas cogi nequit, oportet vt liber sit omniū consensus. Nec verò tantum oratio, sed etiam actio sæpe voluntatem demonstrat, vt si res non tantum vendita, sed & tradita sit, & etiam diutiū possessa. Locus etiam multum afferre solet: sic aliam vim habet hic aut alibi dicta vel facta, vt in templo, in iudicio, in symposio, si ij quorum res agitur absentes fuerint aut præsentes. Ratio verò maximum ubique momentum habet. Nam tūc optimè rē quanq; intelligimus, cùm propriam causam eius scimus. Sed cùm veritas potius in animis nostris sit, q; in oratione, quid si verbis aut actionibus tantum, & nō voluntatibus cōsentiant? Evidem manifestum est, si cōstet utrumque contrahentium noluisset, nullū esse contractū: sed quid si quamvis antea noluerit, iam tamē alter velit? At oratio nullius efficaciam fuerit sine voluntate: quod si voluisse se dixerit, alterum & etiam iudicem defraudarit. Sed quid

## LIBER SECUNDVS.

45

quid si fuerit vnius & non alterius voluntas? Atqui vnius voluntatis contractus esse nequit, tamen ne fraudi detur occasio, potiore eius erit causa, cuius oratio cum voluntate cōsentit, nisi alter iusta suam ignorationem euidenter demonstrarit. Quædam autem tacita quodāmodo pacta sunt: ita qui sanguine maximè cōiuncti sunt, voluntatibus etiā putantur optimè cōuenire, & hinc est, quod ad proximos ius defunctorum transeat, nisi fuerint aliæ voluntates legitime significatæ: sic etiam qui diutius alterum rebus suis vti patitur, in dominij translationem consentire videtur: interest etiam Reip. ne bona priuatorum maneant ignota. Quoniam verò non considerandum tantum est quid velit quisque, sed etiam quid præstare possit, necessariū est vt liberi sint homines qui contrahunt: nam alioqui cum alterius ipsi sint, nihil habent, nisi potestatem sint à dominis suis adepti: itaq; serui, filii familiās, pupilli, in suum damnū ritè nō paciscuntur, tum quod sub alterius potestate sint, tum etiam quod facile decipi posse videantur: oportet autem dolum omnem è Rebus pū. procul excludi. At quanq; à gentium iure pacta suam præcipuam obtineant autoritatem, eo tamen non singulis tantum hominibus est concessum, vt ex arbitrio suo rebus suis vtantur, sed etiam multis hominibus, in vnam vitæ societatem congregatis, data potestas est, qua statuant in communes suos usus, quæ, tametsi tam latè non pateant, omnium aut plurimorum opinioni, rationi naturæque consentanea videntur: & hinc omnis vis iuris ciuilis est, cui quidem necessarium est priuatos omnes suas voluntates accommodare. Quapropter, vt inquit iuriscon, quod conditor legis statuit, etiam contrahentes tacite voluisse & fecisse finguntur. Ius autē ciuale ijs pactis quæ necessaria sunt ad usum vitæ communis, venditionibus, locationibus, & alijs eiusdem conditionis, autoritatem suā adiungit, qua, si nolimus, cogimur exequi

N quic-

quiequid ritè polliciti sumus: eam autem obligatio sola naturalis non habet. Ita quanquam ex iustis pactis omnibus obligationes siant, quibus tanquam vinculis quibusdam cōficiendi promissi teneamur, quoniam tamen voluntates sunt inconstantes, & varium etiā in hominibus cogēdi resistendiq; robur, vtilitatis publicæ causa legum etiā ciuiliū potestas accesit, qua, qui pactum vult haberi ratum, adiutus, vel inuitum aduersarium per iudicium in suam sententiam trahat: eam ab eius operatione actionē appellant, quam definiunt etiam Iurisconsulti. ius, debitum in iudicio persequendi. Instrumentum autē legitimarum actionum est obligatio, quo voluntas alicuius à publica iam corroborata iustum contractum ad exitum suum perducat. Si vero à primis ad ultima velimus ordine progredi, potestas animorum nostrorum summum locum tenet: secundum autem eorum in unam voluntatem coniunctio: tertium huic adiuncta voluntas legislatoris, quæ iam ex pacto contractū facit, & efficacem actionem parit: postea iudicium publicū est, & tandem horum omnium effectum ultimū, in quod scilicet inter se qui contrahebant consentierunt. Verū quoniam illa prima vis animorum, cui leges etiam seruiunt, est libera, quæ se non tantum in voluntatem, sed in materiam, in executionem & effectum extendat, quādū potestas tantum est, eiusdem etiam conditionis est voluntas legislatoris, vis scilicet & ius agendi, qua si velit quis vti possit. Cū autem potestas animorum exit in voluntatem evidentem, cum hac etiam efficax voluntas legum coniungitur, & similiter potestas agendi transit in certam operationis judicialis formā, quam per authoritatem publicā effectus ultimus pactorum sequatur: sed hoc loco nō sunt hæc latiū explicanda. Quoniam autem contraria semper à suis contrarijs tolluntur, manifestum est, quod cōtractus statim dissoluitur, si vel finis, bonum scilicet, vel efficiens huma-

humana voluntas ritè in diuersum mutetur. Nullum enim malum, pr̄sertim publicum, vñquam fuerit admittēdum. Ita s̄pē priuilegia videmus pactaq; ciuium, quæ tamen aliquando iusta fuerant, iure rescindi. Voluntas autem oportet vt in dissoluendis pactis rursus sit vtriusque, & vt res etiam adhuc sit in eorum potestate: quod si contigerit, vt inquit iurisconsultus, posterior contractus priorem tollit: alioqui vero quod est recte coniunctum distrahi nequit: nam eorum qui contraxerunt & etiam gentium est una facta voluntas, non duæ tam malè coniunctæ, quæ ab uno subito distrahantur. Vnam autem eiusmodi voluntatem, unus effectus quoq; comitatur eius rei, quæ fuerat illi subiecta. Sed vt pr̄terita facta non sint, vlo modo fieri nequit, quanquam nouum quippiā dissimile vel contrarium fieri potest: vt si vendat emptor rursus eandem rem venditori. Verū id non tam dissolutio prioris, q; nouus contractus meritò videatur, qui tamen prioris effectum tollat. Sed harum rerum tractatio potius iurisconsultis est relinquenda. Cū autem magistratus nō tantum in his quæ iam diximus, sed etiam in supplicijs inferendis versentur, & hæc iustitiæ pars plurimum ad incolumente Reip. conducta, nunc eam paucis explicemus. Non enim satis est sciēre, quomodo virtutes sequamur, nisi sciamus quo pacto via coercere debeamus. Sed differentiæ suppliciorum, ex ijs quæ prius de peccatorum gradibus diximus, facile poterūt inueniri. Illud autem h̄c in vniuersum est obseruandum, quemadmodum non Philosophi tantum, sed etiam iurisconsulti tradunt, vt supplicia potius cum clementia quam acerbitate sint coniuncta. Illa vero, si negotia legibus aper- tè comprehensa non sint, potius ad lenitatem inclinat. Oportet autem vt homines imbecillitatis humanæ conscientij, magis ad hanc quam ad rigidam severitatem sint profici, quæ iam ad crudelitatem proximè fæpius accep-

*Suppli-  
cia.*

## DE REPVB.

dit, quæ quidē tam contra naturam humanam est, vt etiā ipse Phalaris crudelissimus tyrannus eam in alijs videatur esse detestatus. Quæri verò posset, an in ijs quæ legibus cōtinentur clementia nullum habeat locum: vbi considerandum est, an iudices tales sint, qui secundum leges sententias dicere cogantur: nam ij, cūm iuris tanquam ministri sint, perpetuum domini sui iussum nunq; possunt detrectare, & etiam si iudices legibus sint superiores, qui nimirū legum nouarum & priuilegiorum habeat potestatem, tamen & illi quoque sub æquitatis imperio sunt, & hæc prorsus inuictas vires habet, quibus quisque quicunq; sit, tantò magis subiectitur, quanto magis eas violare putatur. Quapropter iniquus iudex est, quicunque scelera negligit, Remq; pub. non mediocriter offendit, dum exhibit reliquis exemplum peccandi, & cūm sceleratis occasionem quoque maiorum scelerum præbeat, ipsos etiam reos lèdere videtur. Itaque rectè scriptum est apud Platonem, persuaderi debere melius esse, non Reip. tantum, sed & ijs qui peccarunt, vel mori, vel alioqui castigari, q; eos impunitos relinqui: quòd hęc iustitiae pars animæ fit medicina. Socrates qui Apollinis iudicio Græcorum sapientissimus fuit, quamquam iniquissimè condemnatus esset, sibi potius moriendum, quam iudicium publicum violandum putabat: interesse nempe Reip. iudicabat, magistribus, tametsi nō optimis, imò etiam interdum malis, quemuis temere non reluctari: quamuis cùm id diceret potius alterius vitæ desiderio, quam Atheriensis Reip. cura teneri videbatur. Verum quòd iustitia violari nolit vñquam, ab eo discere possumus, quem in omnibus nobis magistrum sumere debemus: videmus enim Deum ipsum apertè voluisse, vt nullum crimen vñquam sit impunitum. Nam tametsi piè flagitibus hominibus immensum culpæ supplicium condonet, statuit tamen, vt vñus qui satisfacere posset pro nobis,

## LIBER SECUNDVS.

47

bis, qui soluendo non eramus, persolueret, & ita ruinā immensam humani generis, per immensam gratiam quidem, sed cum pari iustitia coniunctā repararet, vt cūmvnus hanc vtranq; pariter cōtineret, is sua iustitia nostram iniustitiā, misericordiaq; meritas poenas à nobis auferret iniusta sua morte nos à iustissima morte liberaret, ac pro summis meritis cum bonis in perpetua felicitate regnaret: ita pulchrè factum est, vt nos Deo deberemus, non tantum quòd homines essemus, sed etiā quòd essemus hoc nouo beneficentiæ genere liberati, & sic est inuicta iustitiae diuinæ ratio exactè seruata. Certè non video quomodo rectè possit hæc vñ quam ab illo violari: violabitur autem, si leniores q; oporteat in puniendis delictis simus. Quoniam tamen hic utilitatem publicam spectamus, si quę peccata sint, quæ vel neglecta, vel leuius punita videantur eam non esse læsura, diuino iudicio relinqui possunt, ab eo præsertim, qui vt legibus superior est, ita magis liberam potestatem habet: at nec is vñquam tamen morbos aliquos magnos, aut eorum occasiones alias in Rép. inualescere finat: cùm enim is qui magistratum gerit sit tanquam medicus Reip. ab eo curandum est, vt morbis etiam impendentibus diligētissimè resiftatur, & præfentes omnes amaro pharmaco tollantur, si quidem dulci curari non possunt, corruptæ verò partes & insanabiles vt radicitus exscindantur, tum quòd inutiles sunt & à vitali totius corporis spiritu seiunctæ, tum quòd pestilentissima cōtagione promptissimè cæteras inquinēt. Iis autem quæ sanari possunt medicamentum admouendum est, quòd salutem tutissimam & optimā affectæ parti & vniuerso corpori adferat. Si quæ verò esset Resp. tam incorrupta, in qua peccata leuia, cùm nō admodum essent multa puniri possent, hæc eo ipso profectò ferme semper incorruptissima maneret: leues enim vitiorum occasionses, hoc pacto de medio tollerentur, quibus sublati maiores

N 3 pro-

## DE REPVB.

prouenire non solent. Quanquam legislator scelera tan-  
tum perpendit, quatenus ad ipsam Remp., extenduntur,  
quoniam tamen ex occultis manifesta & e priuatis publica  
proueniunt, nō fuerint à magistratibus omnino negligi-  
da: nam vel sola voluntas, modò per signa sua declarata sit,  
apertè Remp. lēdit. Itaq; lex homicidij, etiā contra eos po-  
sita fuit, qui hominis occidendi causa cum gladio fuissent:  
quoniam interest Reip. vt etiam ciuium voluntates sint in-  
corruptæ. Tametsi verò Remp. lēdere non videantur mi-  
nima quæq; præsertim si priuata sint, tamen multa parua  
magna tandem fieri solent in vnū cōiuncta, singula quoq;  
cōtinuatione suum incrementum sumunt, & priuata se se  
in totas Resp. effundunt, dum vnius vitium tota familia,  
& vna familia aliam imitatur. Minorā verò peccata qui ca-  
stigabant apud Romanos censores appellabantur, qui non  
secundum certas leges, sed utilitatem potius communem,  
legibus scriptis nō comprehensam, iudicabant. Non enim  
omnia, quæ quidem infinita sunt, possunt etiam à sapien-  
tissimis legislatoribus vnq; definiri: Verū illi tātum igno-  
minie poenam inferre solebant, pro grauioribus autem sce-  
leribus iudices & lictores capitale. Sed quid si certum sit  
ciuius vitam qui peccauit Reip. magis esse profuturā quām  
mortem? Evidēt semper maius bonum & minus malum  
fuerit eligendum: vbi tamen animaduertendum, ne absolu-  
endi exemplum alios ad scelus inuitet: omnia nimirū quæ  
in Rep. proponuntur, debent ciues omnes admonere non  
ad ullum vitium, sed potius ad omnem virtutem & felici-  
tem cōmunem: nec tantum malo ciui, sed etiā bono fue-  
rit meritò pro Rep. si res postulet, moriēdum: nam & Atti-  
lius Regulus, & alij multi ab omnibus laudantur, qui etiā  
ob non adeo magnam utilitatem mori voluerunt: certè du-  
biū esse nequit, quin meritò pro Rep. morti condemne-  
tur maliciues, vt qui semel peccauit, nō peccet iterū, & qui  
præ-

## LIBER SECUNDVS.

48

præteritā p̄sētentemq; tranquillitatē perturbauit, promo-  
ueat futurā, dum is qui præbuit exemplū peccādi, præbeat  
alijs etiam exemplum satisfaciendi: futuri nanq; temporis  
potius quām præteriti causa supplicia de sceleratis homi-  
nibus sumuntur, que Reip. vexatores de medio tollunt, &  
reliquos ciues modeſtiores reddunt. Cūm igitur Reipub.  
causa p̄enas scelerati luant, vt est apud Platonem, id etiam  
in supplicijs inferendis seruandum est, vt ea criminā quæ  
maxime graffantur in Remp. quanq; leuiora fuerint, acer-  
bius tamen puniantur. De ijs autem sceleribus, quibus ci-  
uitas non laborat, tametsi sui natura magis pernicioſa sint,  
non solent admodum esse ſollicitæ leges. Itaq; legimus So-  
lonem prudentiſſimum legiſtatem nullum ſupplicium  
parricidis ſcripſiſſe, quod tam nefarios homines arbitra-  
retur in ſua Rep. non eſſe futuros. Furtum aliquādo dupli-  
vel quadrupli compensationē diſſolutebatur, nunc autem,  
quoniam vſitatiū eſſe cœpit, factum eſt capitale, nō quod  
cum pecunia vita cōparetur, ſed quod ſatiuſ ſit malos inter-  
fici, quām vniuersam Remp. perturbari. Itaque fures, reli-  
quiq; scelerati, ciuitati, non priuatis hominibus p̄enas ſol-  
uant: ſed tamen equeſt fuerit, vt ijs qui lēſi ſunt etiā ſua  
damna reſtaurentur. Quanquā enim omnia Resp. ſibi ven-  
dicare potest, ſi quām optimē tamen iſtituta eſt, miseros  
ciues ſemper confolari ſolet: ita iuſtitia poſtulat, vt ij. qui  
grauiora ſcelera commiferunt, Reip. primū ſatisfiant,  
& vt deinceps etiam, ſi fieri potest, illis ſatisfiat, qui detri-  
mentum ſunt perpeſi, ſi tamen ipſi nullum damnum com-  
meruerunt: ſāpe nanque præbere ſolent aliquas peccandi  
occasions. Ita ciuium negligentia multos fures alit: & iccir-  
co Lycurgus nullam furti p̄enam conſtituerat, & multis  
in locis non tantum fures capite, ſed & ij. quibus aliiquid  
ablatum eſt, amissione ſurreptorum bonorum puniuntur.  
Peccata, quæ non tantum periculum afferūt, capitalia non  
haben-

habentur, quòd satius sit ea vel aliter castigari, vel interdù etiam dissimulari. In eo verò fermè vis omnis huius æquitatis est, vt qui damnum Reip. attulit, afferre cogatur quantum potest vtilitatem, & qui partem vnam legis violauit, satisfaciat alteri, qui fecerit aduersus interdictum hoc, hominem non occides, cogatur etiam perferre quod reliqua legis pars iubet, nempe qua cautum est, vt qui interficerit aliquem, etiam ipse moriatur. Ut autem exactè rationē omnem inferendæ poenæ cognoscamus, operæ pretiū est, tam supplicium quam delictum vicissim in eadem lance cū vtilitate Reip. trutinare: quod enim cū emolumento magis aut cū detrimento communi coniunctum minus pondere habet, id ipsum est in legibus introducēdis semper à gubernatoribus ciuitatum eligendum. Itaque diligenter considerandum, quid vtilitatis aut incommodi ex supplicijs aut criminibus in Remp. redundet, vt id fiat quod maius bonum secum affert, aut si malum omnino vitari nequit, admittatur potiū id quod est minus, nam id maioris mali cōparatione boni speciem præ se ferre videtur. Si ciues omnes incorrupti semper essent, in supplicijs inferendis iustitia nunquam esset occupata, nunquam incesto vultu cerneretur, sed continuò præmijs reddendis vacaret; nunc hominum scelus in duas partes eius officiū diuisit, & etiā coēgit eam potiū in acerbiori versari, non quòd ipsa vnq̄ sui dissimilis sit, sed quòd ex effectis eius considerationem nobis proponamus, quæ tametsi causa sit eadem, propter subiectam materiam sunt diuersa: tam enim malis hominibus supplicia quam illis qui bene de Rep. meriti sunt premia conueniunt, & in ea factorum exacta dimensione & compensatione totum æquitatis officium est situm. Ita fit, quoniam facta suam mensuram, & illi par vel præmiū vel supplicium habent adiunctum, vt vbique iustitia suum habeat locum. Peccatum quidem, vt videtur, legē dissoluit,

imo

imo potiū est dissolutio quædam legis ab humana voluntate: sed hæc est iterum alterius cōfirmatio legis, & qui contemnit primam se magis subiicit secundæ. Prius enim protestatem habet seruandi, per peccatum à supplicio nullam habet libertatē euadendi: nam prorsus iniuncta iustitia est, adeō quidem vt nec etiam vlla gratia flectatur, sed summa habeat vbique protestatem. Certè si diligentius rerum omnium naturam considerare velimus, dubitare non poterimus, quin hæc vniuersitas omnis arctissimo iustitiae vinculo sit comprehensa. Quanquam enim huius pulcherrimæ machinæ facturam, & humani generis instaurationem, incredibili Dei Opt. Max. beneficitiæ debeamus acceptam, hæc tamen etiā cū æterna iustitia semper postulat coniungi, quemadmodum paulò ante dicebamus. Cū igitur qui scelus commisit eō se statim debitorem fecerit, necessarium est, vt vel ipse vel alius persoluat: quod si vero magnum liberatorem habeamus, qui pro nobis omnibus satisfaciat, & immensis pretijs immensum debitum dissoluat, tamen necessarium est, vt vicissim eius desiderijs à nobis satisfiat: nam iustitia totius naturæ necessitatem continet, & quicquid faciamus semper per eam nostram dignitatem tenemus, quantumvis in varios ordines nos trasferamus: per vitium quidē descendimus ad imum aliquē locū, per virtutem assurgimus versus supremum, in omnibus autem ipsa iustitia versatur, se per totum vniuersitatis spatiū extendit, res omnes factaque certissimis præmiorum suppliciorumq; mesuris cōpenſans. Quemadmodum autē in vniuersitate rerū, sic in Rep. quoq; quæ similitudinē illius gerit, iustitia exactissimè seruari debet. Oportet igitur, vt leges & earum ministri, in compensandis ciuiū factis, ijs præcipue quæ ad Remp. maximè pertinent, totis conatibus occupentur, & omnia semper referant ad virtutem, & totius Rep. felicitatem. Oportet vt in his, tum in alijs omni-

O

bus

## DE REPVB.

bus diligenter considerent, quid vniuersae Reip. quid singulis hominibus & quibus potius conducat, atque etiam, quid, & quo pacto commodi simè fieri possit: quædam autem tam difficultia tamq; periculosa sunt, vt tanq; in eorum numero quæ fieri nequeunt possint haberri. Boni quidem gubernatores ad propositum portum, quem suis negotijs aptissimum elegerūt, dirigunt omnem nauigationem: sed quid si contraria tempestas ingruat, nunquid cōsultius fuerit vela ventis accommodare, & proximum aliquod tutissimumque refugium petere, quam dum pergere conantur principes aduersus insuperabilem prouidentiam Dei, perdere se pariter & totas ciuitates. Ergo considerandum quam commodè quodque fieri possit, & quoniam via varia sunt, multis etiā remedijs est opus: Quid quod in hominibus, in temporibus, in locis est magnum discrimē, nec in omnibus ipsisdem pharmacis ut licet: interdum chalasticeis & acopis opus est, interdū vinculis, cauterijs & ferro: quidam etiam morbi curationem nullam admittut, qui si sint in quibusdā, & nō necessarijs partibus, excindi quidem possunt, sed quid si sint in toto corpore, quid si in partibus sine quibus ciuitas incolunis esse nequit, quid si in alijs, sed quæ non possunt, sine noxa partium præcipuarū irritari? Multos legimus in antiquis Rebus p. malos fuisse ciues, quos satius fuisset ferre quam prouocare. Sanè multa in singulis veniunt ciuitatibus diligenter animaduertenda: nam etiam minima quæque sape præbent occasiones maximorum, & tamen interdum vix maxima curari volūt. Sed de his iam satis: nam quanquam præmia natura penitus sint priora, ex virtutum dignitate, quam antea tradidi, facile possunt cognosci, nec tam in vnu nostris temporibus sunt, vt exactam explicationem requirant. Quoniam autem aliquid est quod nō oporteat, etiamsi per leges liceat, vt est apud Ciceronem, ac in eo sensu generale liberalitas est

&amp; ami-

## LIBER SECUNDVS:

50

& amicitia, plurimumq; conferunt hæ duæ virtutes ad felicitatem communem, de ijs hoc loco quædam tradenda videtur. Licere dico quæcunque legibus non sunt interdicta, hoc est, quæ manifestè Remp. non lèdunt: at sunt præter hæc alia multa, quæ nos facere vel omitttere non decet. Decorum enim in vita latissimè patet, nec totum potest legibus comprehendti, & tamen vult ab omnibus diligenter obseruari: quomodo verò liberalitate sit & amicitia seruandum, quæ duæ virtutes cum iustitia sunt vehementer coniunctæ, iam paucis ostendemus, quanquam ex ijs etiā quæ prius diximus intelligi possit, ac à liberalitate initium sumemus, quoniam latius quam amicitia, vires suas extendit: non enim tantum in amicos, sed etiam in alios liberales esse debemus. Quod autem liberalitas cum iustitia coniuncta sit, hinc intelligi potest, quod, si quid nobis superevit, aliorum necessitatibus debeatur, eorum præcipue, qui nostram beneficentiam maximè merentur. Videtur autem sic appellata liberalitas, quod libero homine digna sit, & quod liberum animū requirat: alios enim alacriter nostris bonis iuuari decet, ne potius aliquā ob causam extorta munera quam liberè data videantur. Est igitur liberalitas virtus, vt inquit Philosophi, qua nos promptè citra cōpensionis spem alios nostris externis iuuamus. Hæc autem virtus meritò apud omnes in summo pretio semper fuit, non tantum quod sit multis hominibus utilis, sed etiam quod beneficium animum significat, & humanarum rerū cōtemptorem. Est autem, vt &c reliquæ virtutes, in medio quodam, nimis inter prodigalitatem & auaritiam collata, & est etiam circumstantiarum suarum modo ponderala: quod enim in alijs liberalitas, in alijs prodigalitas aut auaritia dicetur: ita minimus excessus pauperes prodigales, defectus autem minimus diuites auaros facit. Deinde negotia quædam, & his potius quam alijs temporibus &

O 2 locis

## DE REPUB.

locis, maiores minores sumptus requirunt. Quanq; autem liberalitas vtrinq; vitium suum habet, tamē avaritia multis modis deterior habetur, quae in dando deficit, in accipiendo modum excedit: nam etiam præter cætera mala, hoc nō exiguum est, quod ipsa cum aetate continuo crescit. Discunt quotidianis experimentis homines, quam viles pecuniae sint, quamq; difficile cōparentur: prodigi vero, cum indies multas pecunias effundant & accipient paucas, cōsumptis omnibus aut plurimis remediū habent: sed tamen vtrinq; vitium, quatenus fieri potest, diligenter in Rep. debet impediti, & tam alienatio patrimoniorū, q; nimia bonorū conservatio prohiberi, quod vtrūq; ab antiquis bene formatis Rebus p. nonnunq; factū esse videmus. Auari cogēdissent, vt pecunias suas nimias in usum aliquem exponant, quoniam in Rep. nihil otiosum & inutile esse debet: ad expensas omnibus modis sunt prouocandi, quia cū nummis ipsa cupiditas continuo crescit: ad animi magnitudinem inuitandi sunt, qua se quis merito magni facit, & debitos honores exposcit, pro quibus, vt inquit Aristoteles, cū diūnum quippiam sint, & Dijs immortalibus debeat, non pecunias tantum, sed res omnes humanas merito quis contemnat. Honor etiā magnificentia prouocat, quæ sumptus tales facit, quales magnos viros facere decet. Sed hoc loco de liberalitate plura non adiungemus: postea de officio diutium erga pauperes nonnulla dicemus, quæ poterunt etiā huc transferri. Quoniam autem nos non ad solitudinem, sed ad societatem facti sumus, inter alia quæ conferunt ad sensum felicitatis, præcipuum quendam locum habet voluntatem similium, hoc est bonarum, coniunctio, quam amicitiam appellamus: nam cum veris amicis, quibus nihil pretiosius profert natura, & etiam amicorum bonis omnibus tanquam rebus nostris fruamur, nō possunt, vt inquit Aristoteles, in calamitatibus, quibus varijs obnoxij sumus,

non

## LIBER SECUNDVS.

51

nō summū afferre lenimentū, non possunt in rebus prosperis ad augmentum beatitudinis plurimam non conferre. Cū autem amicitia, teste Cicerone, dicatur ab amore, de eo, vt amicitiae naturam intelligamus, prius dicturi sumus. Amorem definiunt affectū animæ rationalis, quo cū interiori suauitate quis aliquo frui cupit, quod imaginem bonigerit: nam antea diximus bonum omnium rerum esse finem. At cū, vt aiunt Physici, omnis motus à contrario fit in contrariū, manifestū est, quod ex aliquo defectu semper ad bonum feramur. Diximus etiam speciem cōceptam esse tanquam instrumentum, quo ad bonum consequendum utamur. Hæc autem species formam quandam gerit eius à quo suam originem habet, quæ si optima sit, formosissima dicitur & pulcherrima, sitq; vinculum firmissimum amoris, quo sic animus cum re desiderata coniungitur, vt ab ea nullis machinis possit diuelli. Bonum igitur amoris finis est, quod sui specie incitat efficientem causam cum defectu coniunctam. Simile quippiam in vniuersa rerum natura fieri videmus: ita nimirum alimentum nobiscum coniungitur, medicamenta proprios succos ad se trahunt, magnes ferrum allicit, & cuncta cum similibus suis cōmisercent & in unum coniunguntur: propter defectum, qui quidem est in eo quod coniungitur cum bono. Ita Deus nos prosequitur amore, cū tamen illi nihil omnino desit, & nos eum amamus, quoniam in eo nostram felicitatem habemus. In hominum autē mutuo amore fermè vtriusq; est defectus, qui alterius dotibus vult suppleri. Defectū hic semper appello, qui sit cum aliquo bono coniunctus: nam vt antea diximus, ipse solus nullas vires habere potest. Bonum enim est quicquid appetitiae potestatem habet: exceptit autē, quia plane non est absolutum, & cupit absolutius fieri à simili quod in eo genere excellit. Sed cū Deus omni genere bonorum perfectus sit, hinc vis amoris di-

O 3

uini

## DE REPVB.

uini facilè cognoscetur, qui cum Deo nos, hoc est cum nostra perfectione coniungit. Quod verò quanto quis meliore est, tanto maiore desiderio rerum diuinarum teneatur, mirum non est, nam in bono diximus appetentiam esse, quod quanto maius est, tanto potiores obtinet desiderij vires: similitudo enim appetentiā deficitis auget, & eā minuit dissimilitudo. Deinde quātō quis melior est, tanto melius suam imbecillitatem cum diuina potestate conferre nouit. Cūm iam eo quem amamus præsente fruimur, quoniam similiūm species arcte nobiscum coniunguntur, ex actionibus & affectionibus mutuis incredibilis voluptas procreatur: quod etiam in animo corporeq; cernere licet, cūm inter se consentiunt in perfectissimam aliquam constitutionem & operationem: vtrinq; nempe species alterius cum alterā placide conuenit in arctum commercium vitæ: at si dissimiles sint, hinc statim prouenit dolor. Duplex autem est similitudo, primū naturalis, qua multos citra causam aliam videmus esse deuinētos; per totam enim naturam similitudinis & dissimilitudinis causaē disseminatæ sunt, quæ cælesti virtute potissimum gubernantur: quemadmodum ex Phædro Symposioq; Platonis intelligere licet. Alia similitudo est ea quæ per consuetudinem est acquisita: hæc si conueniant ambæ, maximam coniunctionis potestatem habent, si solum alteræ, tanto minorem, quanto contraria magis diuellit. Natura inter virum & foeminaṁ insignem & necessariam posuit commercij causam, cui si forma morumque & ingeniorum similitudo accedit, longè potentissimus fit amoris nexus, quem nulla vis humana disrumpat. Qui verò eximio quodam est amore deuinētus, suam incolumitatem pro alterius salute facile contemnit. Nec id etiam mirum videbitur, si rem ipsam bene consideremus. Ex duobus enim per amorem vnum factum est, quemadmodū Pythagoras dicere solebat, cuius

præ-

## LIBER SECUNDVS.

præcipita pars appetit ea quæ ab altera amatur: in omni vero compositione, si periculum aliquod imminet, natura potius illud ad partem ignobiliorē transferre conatur. Ergo quanquam alter amicorum alterum iuuare cupiat, & vicissim ab altero iuuari, & virtutes vtriusque desiderent ambo, non vt proprias, sed vt communes & indiuisias, magis tamen, vt ait Cicero, quisq; facit omnia in gratiam amici, qui nimirum sit cuiusq; præcipuum bonum. Sic in corpore nostro, cuius partes omnes tanquam amoris vincula sunt inter se coniunctæ, si quid accidat boni potius ad nobiliorem, malum ad partem distribuitur quæ minus dignitatis habet. Ita mirum non est, si quis pro eo quem amore prosequitur, pericula quævis & morte nō dubitet subire. Ex amore benevolentia nascitur: hæc si reciproca sit, amicitia nuncupatur, quæ nihil aliud est quam studiorum & voluntatum mutuus consensus. Hæc igitur non se tam latè quam amor per vniuersam animam extendit, sed partem eius superiorem potius attingit, & semper est cum virtute cōiuncta. Cūm autem amicitia tantum inter viros bons sit, nam, vt antea monstrauimus, malū nullā cōiunctiōnī vim obtainere potest, manifestū est, si plures nobis amici sint, quodd quanto melior aliquis est, tanto magis debeat amari. Ita, quanquam amicitia similitudinem & æquabilitatem animorum contineat, si diligenter cōsiderauerimus, hic etiam Geometricam quandam analogiam inueniemus. Nunquā enim duos pares reperire licet: nec verisimile est Pyladem & Orestem, qui tamen voluntatibus ijsdē fuisse dicuntur, aut ullos alios omnibus animi corporisq; dotibus æquales esse potuisse: & ideo non oportet vt par benevolentia sit mēsura, sed vt magis ametur ille qui magis excellit, & qui nobiscū magis est coniunctus, sic & natura ratioque communis postulat, vt in parentibus, coniugibus, summus quidam sit amor: in filiis non par quidem amor, sed

sed tamen debet esse iustus. Inter sanguine coniunctos etiā propter naturalem similitudinē est maior quam inter alios amor, qui familiaritate cōtinuō crescit & etiam probatur: nam dicere solent, nisi certas salis mensuras simul comedērint, non esse veros amicos. Quanquam autem hic quod in virtutibus omnibus accidit, ut vel rarissimae vel nullae potius sint perfectæ, sed oporteat ut vel mediocribus vel etiam inferioribus simus contenti, illud tamen semper obseruandum est, ut in hominibus superioribus plures & superiores sint virtutes; ita supremus Deus eas omnes habet absolutas. Igitur in principib⁹ Reip. maximus etiā subditorum sit amor, sine quo fieri nequit, ut officio suo recte fungantur. Semper denique in eo qui bene facit, quam in eo cui bene fit, debet esse magis excellens amor, quoniam ut inquit Aristoteles, agendo potius quisque quam aliquid preferendo fruitur rerum natura, & ideo semper effecta q̄ causæ magis amantur. Non tantum autem volumus ut in Rep. nostra ciues omnes voluntatibus arctissimè conspirerent in unum, sed etiam ut ipsa cum alijs bonis Rebus p. per amicitiam sit coniuncta: quoniam nihil sine defectu aliquo repeire licet in rebus humanis. Cūm vero similitudo amicitiae sit effectrix, oportet ut Resp. quæ amicitiam egregiè seruantur sunt, inter se quam maximè conueniant moribus & institutis: nam dissimiles odio mutuo carere non possunt. Potentior igitur & melior occasione data deteriorem, etiā ob utilitatem hostium redigat in suam potestatem, & sibi quam similiam reddat. Nam utilis est inter homines q̄ latissima similitudo morum honorū: & hinc est, quod principib⁹ suum imperium propagare sit interdum concessum. Sed hac de re postea pauca quedam dictur sumus.

## De Republica Liber III.

53



Lurima sunt adhuc quæ de iustitia possent in medium efferrri. Præsul illustrissime, sed nos hīc pro instituto satis multa dixisse videmur. Vnum autem virtutum genus nunc est reliquum, quod inter cætera suum principatum tenet. Pulchrum equidem est omnes peccandi illecebras cohibere, nec vllis periculis propositis vnquam deterreri: pulchrum cuique semper quod illi debetur exactè distribuere: sed nisi quis sciat rerum omnium gerendarum rationes, & his etiam obsequi multa didicerit exercitatione, non poterit vnquam in vlo virtutis officio recte versari, ut nec bene per varios & argutos itinerum flexus ingredi, qui nihil aut parum admodum cernit. Oculus autem animorum nostrorum mens est, quæ dum diligenter in rebus humanis cognoscendis & administrandis occupatur, de ijs bene considerandi consultandiq; promptitudinem hominibus affert, quam nos prudentiam appellamus. Hęc eadem mens rebus æternis cognoscendis dedita, scientias etiā & sapiētiam acquirit, sine quibus profecto nos omnes in densissimis tenebris & summis miserijs viueremus. Nā si nobis haec corporata lux tantam voluptatem affert, quē admodum ex turbidis & caliginosis temporibus & ex nocturnis horroribus cognoscere licet, quid de altera illa nostrorum animorum luce dicemus, quę tantum ab externa, quantum ipse sol à crassis vmbbris, distat: vt interim omittā quod innumeris modis quam corporis oculi sensum animi nostri possideant exactiorem. At si qui voluptatem hāc sibi contemnendam esse putent, saltem utilitatem & necessitatem negligere minime debet. Manifestum est autem quod

P absque

## DE REPVB.

absque operationibus nulla nostra vita foret: si quidem, vt iam s̄epe diximus, ab aliquo bono suā omnia naturam ha-  
bent, & bonum sese semper vltierū in proxima quæq; ef-  
fundit, nec vnquam otiosum esse potest. Itaque stirpes etiā  
& lapides vim suam & actionem, & eam quidem eximiā  
continere videmus. Quapropter cùm animus corporaturā  
tantis interuallis superet, ignavia minimè fuerit corrum-  
pendus, sed diligenter excitandus, vt in præscripto stadio  
cursum suum teneat, & ad propositam metā alacritate sum-  
ma contendat, quod nunquam bene facturus est, nisi to-  
tum spatiū exactē cernat, & etiam in eo didicerit egregiē  
versari. Sed scopus ad quē operations omnes tendunt, in  
rebus omnibus longē maximum momentum habet. Is igi-  
tur oportet vt bene perspectus sit, modò quæ ad eū ferun-  
tur rectē constituere velimus. Non autem ad hanc vitam  
tantū, sed ad aliam præstantiorem nati sumus: & etiam si  
tantū ad hanc vitam nati essemus, alterius cognitione  
semper opus haberemus, qua turbulentia hanc humanā in  
ordinem aliquē diuinum redigeremus. Igitur administrari  
non possunt res humanæ, nisi præstō nobis sint diuinæ, &  
ideo prudentia sola non sufficit, nec etiam ipsa sine scien-  
tijs esse potest. Scientiæ verò præcipuam veritatis magistrā  
sapientiam requirunt, sine qua planè rudes sint & incultæ.  
Hæc primas rerum intelligendarum rationes in clarissimam  
lūcem exponit, à qua reliqua tanq; à splendore purissimi so-  
lis illustrantur. Sapientia verò prima, quæ suam virtutem  
reliquis largitur, tantū in vno rerum omnium summo  
principio suum fundamentū habet: alioqui potiū essent  
plures diuersæ, quas alia superior contineret atque cōiungeret,  
quæ potiū ipsa primæ sapientiæ nomen obtineret.  
Itaque nobis nunquam quiescendum est, donec peruentū  
sit ad illud summum, in quo eximiè sunt omnia, & cum  
ijs omnibus nostra quoq; felicitas est collocata. Sic tanquā  
per

## LIBER TERTIUS.

54

per gradus ascendimus & descendimus, ac è supremis no-  
biscum deferimus optimas rerum gerendarum rationes.  
Postquam igitur prudentiæ sapientiæq; naturam breuiter  
in hoc libro considerauerimus, etiam de illo summo pauca  
quædam dicemus, à quo, diuerso boni participatu, varius  
quidem & pulcherrimus tamen ordo rerum omnium in  
hanc naturam est introductus, qui quidem cùm homini-  
bus seruiat, etiam in istam nostram considerationem venit,  
quatenus scilicet ad instituendam Remp. conduit. Cùm  
itaque sine præclaris actionibus, nec hic feliciter viuere, nec  
alteram illam felicitatem postea consequi possimus, cùm  
etiam rebus externis nobis opus sit ad omnes nostras actio-  
nes, quid momenti teneant ad iuuandas aut impediendas  
ciuium operationes, vnde Resp. promoueatur aut ledatur,  
ex earum diligentí cōsideratione cognituri sumus. Sed nos  
hic non omnia, quæ sunt infinita, dicere volumus, sed tan-  
tū præcipua quæq; attingere, vnde tamen alia multa, si  
quis bene ratiocinari norit, intelligi queant. Cùm autē res  
externas perpenderimus, ad personarum considerationem  
nos conuertemus, quemadmodum initio polliciti sumus:  
ciivilis enim tractatio in res & in personas est etiā à iuris-  
consultis diuisa. Ita nos sapientia benevolentiaq; tua freti  
Præful illust. ordinem quem initio proposuimus ad finem  
vñq; prosequemur. Cùm ergo virtutes omnes, de quibus  
haec tenus diximus, desinant in actionem aliquam, & cùm  
ignota rectē confidere nequeamus, requirunt virtutem ali- Pruden-  
am quā rerum gerendarum rationes cernantur: hęc autē vt tia.  
& reliquæ, partim natura, partim exercitatione longa com-  
paratur: nam iij quibus instrumēta cognoscendæ veritatis  
apta sunt ab origine, multò meliùs quam hebetes & obtu-  
si natura, negotiorum omnium euentum cernunt: & ta-  
men etiam vñs, cuius vim in istis virtutibus præcipue con-  
sideramus, vel ipse solus in omnem partē multum potest:

P 2 nam

## DE REPVB.

nam animus diligens, non se tantum, sed etiam suum corpus, præsertim partes eius tenuissimas, æthereos nimirum illos spiritus, qui, vt inquit Physici, sentiendi, mouendi cognoscendiq; sunt instrumenta, tandem in continuataru actionu suarum similitudinem commutat, quemadmodum à nobis etiam antea fatis est dictu. Quanq; enim quic quid in nobis eximium futurum est, teste Platone, non tantum vsu, sed & naturam accommodatam postulat, hæc tamen virtutes de quibus nunc agimus, ab exercitatione potius dignitatem suam habent. Si quis autem animum sic habet vel natura vel vsu rerum doctrinæq;, vel potius his omnibus constitutum, vt facile secundum veram ratione particula im instituat negotia quotidiana, is meritò prudens habetur: talem Nestorem fuisse legimus, talem Lycurgum, talem Solonem: qui multis experimentis & rationibus edocti, plurima maximaq; contulerunt in vñs cōmunes: cùm enim tam malos omnes quam bonos rerum exitus animis suis tenerent, illis quidem facile remedium, & his instrumentum accommodatum, quatenus rerum & occasionis natura pateretur, inueniebant. Quisquis autē prudens eximiè futurus est, oportet imprimis vt bene perspicueq; natura cernat, & vt sit admodum circumspctus. Quoniam enim ex plurimis rebus composita sunt, necessarium est, vt in singulis negotijs multa veniant in considerationem, nimis natura, vis & magnitudo cuiusque, quo tempore locoq;, & quibus personis conueniat, denique quid debeat aut posse fieri vel impediri. Certè cùm circumstantiae sint infinitæ, sine quarum examine sedulo quis recte iudicare nequit, cumq; res partim bona partim mala sint, & varijs modis inter se commixtae, & in singulis maius bonum minusq; malum sit eligendum, necessarium est eas diligenter inter se conferre, vt quid singulæ, vel sole vel cum alijs coniunctæ, ponderis habeat, cognoscamus, quod qui-

dem

## LIBER TERTIVS.

55

dem quam difficile quamq; laboriosum sit nemo ignorat. Cùm itaq; ferme negligētiores in rebus examinādis simus, fit vt prima potius boni malīue species rudes nostros animos ad se conuertat ita Paris Helenæ formā & non patriæ calamitatē videbat, seniores Troiani & hanc laudabāt, sed Rēmp. tamen præferebant, & ideo fuerunt ipsi prudētes: Nestor autem melius Agamemnoni, q; Agamemnon sibi consulebat, dum hic Achyllis tristem illam iram prouocaret: Orestes potius in facinus matris, q; in beneficia quæ acceperat, cogitationem & manum conuertebat, & ideo nō tantum imprudens, sed etiam dicitur furore summo corruptus fuisse. Verū si quis exempla stultorum numerare velit inueniet infinita, cum interim prudentum, vt eximia quæq;, admodum sint rara: si quis tamen diligēter omnia circumspiciat, & multis experimentis bonum humanū discere conetur, nisi natura planè cæcutiat, huius virtutis gloriam tandem consequetur. Oportet autem ab affectibus, qui nimium in hanc aut in illam partem trahunt, eum liberum animum habere, qui virtutem hanc præclarissimā sibi cōparare velit, & ideo Græci temperantiam tanquam prudentiæ conseruaticem appellant, nec puto præceptum ad hanc rem ullum inueniri posse utilius, quam vt in omnibus negotijs oblatis semper in memorā reuocemus, nos nunquam recte iudicaturos, nisi liberè cōsulteq; prius in omnem partem respiciamus, & quid boni maliq; circumstantiæ singulæ cōtineant diligenter examinemus. Id quidem molestum est initio, cùm multa sint, quæ nostræ mentis oculos teneant tanquam fascinatos: sed vsu tamen facile tandem fit, & tunc demum virtus appellatur. Cùm igitur hæc natura rerum multas habeat partes, necessarium est, vt mens totidem habeat in promptu, vel potius vt ipsa tā multiplex tota sit, quot sunt partes singulorum, & totius etiam naturæ, quod quidem recte per Protheum suum Home-

P 3

rus

rus significasse videtur, qui se facile mutabat in omnem figuram, nec eum Vlysses, quem nobis tanquam prudentem hominem describit, comprehendere potuisse, vñquā, nisi prius ab Idothea, quæ rerum maximarum naturā omnem intelligebat, fuisse edocetus. Sed hæc sapientiæ magis propria sunt, de qua postea dicemus. Ad prudentiam igitur exercendam animum ad omnia versatilem & perspicuum habere decet, nec tantum vicinos suos, sed multas vrbes & multorum hominum mores vidisse: verum est enim id quod dici solet, non omnem tellurem omnia proferre: atque ideo aliunde quærenda sunt, ea quæ nobis defunt. Eum qui prudentiæ laudem consequetur, omnibus vel plurimis saltem prospicere, nec in quibusdam tantum, sed in plerisque rebus & animis decet esse exercitatum. Tamen si vero prudentiæ multi gradus sunt, ex quibus alius alii superiorum aut inferiorem, aut etiam alius ab aliis in alio genere diuersum tenet, illa tamen propriè nomē illud totum sibi vendicare debet, quæ reliquias omnes ambitu suo comprehendit. Fieri potest vt quis inter principes aut plebeios, & in his aut in illis negotijs prudens sit, quanquā non teneat genus vniuersum, tamen ea quæ posita sunt in vsu quotidiano tam inter se cohærent, vt quis tam speciosum nomen sine partibus omnibus aut saltem plerisque non mereatur. Consideremus igitur omnes vel plurimas actiones humanas ad vitam necessarias, & is qui se poterit ijs optimè accommodare, prudens meritò dicetur, quod quidem, vt diximus, partim fit ingenij iudicijque naturali quadam perspicuitate, qua tanta nonnulli valent, vt vel mediocri vsu res quantumuis tenebricas & implicitas discernant, partim etiā longo & indefatigato vsu. Multi quidem ab ipsa natura ingeniu habent satis obscurum, sed assidue mentis agitatione tantum lumen excitant, vt etiam rerum intima tandem perspicere possint: ita videmus à vehementi

menti calore solis quantumuis densas ætheris nebulas consumi. Si quis autem mentem diligenter exerceat, & instrumentorum hebetudine vel impedimentorum multitudo non retardetur, is talis erit, quem in rebus gerendis maximè desideremus. Quod igitur operationem aliquam vtiliè prudentia potissimum spectet, id fermè cum alijs virtutibus, de quibus iam diximus, habet commune, quod autem veritatis ipsa vestigia sequatur, è proximiùs ad artium & scientiarum naturam accedit: ab ijs tamen manifestè differt, quemadmodū reetè dicit Aristoteles: nam in artibus melior, prudètia verò reliquisq; virtutibus moralibus deterior est, qui sponte peccat, & prudentia circa singularia negotia, scientiæ verò circa res communes versantur. Diffinit autem prudentiam Aristoteles virtutem & habitum practicum, quo de bono quis humano secundum rationē facile consultat. Cum autem bonum humanū in reliquis etiam virtutibus sit, & cum etiam in omnibus rebus bene conficiendis consilio sit opus, & is qui malè viuit optimè consultare nequeat, nunquam (vt idem inquit & etiā verrissimum est) vel sine virtutibus prudentia, vel sine prudentia reliquæ virtutes poterunt esse perfectæ. Non enim prudentia cognitionem tantum rerum bene gerendarum, sed & vsum & exercitationē multam requirit. Exercitatio vero boni, bonum tandem aliquem nō reddere nequit: nam fraudulentia consilia, cum ad malum exitum tendant, prudentiæ non sunt adscribenda, sed potius alicui perdite arti. Itaque legimus Gracchum, Catilinam, & alios plurimos astu vafritieq; plurimum valuisse, quos tamen nemo sanæ mentis appellari vñquam prudentes. Non enim consultandi quovis modo, sed bene cōsultandi longa diligenzia, multis experimentis (vt inquit Aristoteles) prudentiam parit: sic enim dum instrumentorum rubiginem longo vsu discutimus, confiliorum capiendorum, & exequendorum facilita-

## DE REPVB.

facilitatem comparamus: & idem etiam in artibus & scientijs omnibus accidit, vt scilicet veritas earum non tantum doctrina, sed etiam multis experimentis & inquisitionibus in animis & in operationibus nostris elucescat, & ideo præmia magna proponenda sunt exercitationibus omnibus honestis, vel saltem honestissimis & maximè necessarijs in Repub. quod si fiat, vel eo solo facile sibi comparabit ipsa magnos earum magistros: post virtutem etiam considerandum est, quid in Rep. maximè necessarium sit, & eius effectores in maximo pretio sunt habendi: sic erit multis præclaris artificibus & monumētis exornata. Nihil omitendum est, quod excitet diligentiam ad studia literarum & omnem rerum cognitionem, eam präcipue, quæ virtutis decorem & vitiorum turpitudinem demonstrat: virtutis inquam omnis, sed eius maximè, quæ prestantissima sit, & plurimum ad res diuinas, deinde publicas & etiā ad res omnes priuatas conduceat, necnon reliquarum omniū rerum excitandum studium est, quæ cōferunt ad utilitatem & exornationem ciuitatis. Pro cuiusque ingenio in ijs instituendi singuli sunt, quibus sibi Rei q; pub. maximè profint, artesq; præstantiores semper sunt alijs ignobilioribus anterendæ. Ita primum locum tenent quæ virtutem docent, secundum quæ corpora conseruant, tertiu vero quæ Reip. facultates augent: nec etiam in his singulis generibus omnes sunt pares, sed artes aliae sunt alijs superiores, quarum omniū dignitas sit utilitate publica dimessa. Quapropter illæ quæ minus ad usus communes accedunt minorem laudem mereri videntur, vt quæ magis ad ostentationem ingenij pertinent, quam ad magnam aliquam commoditatem, idq; non tantum in vniuersis artibus, sed etiā in partibus earum fuerit obseruādum. Videmus enim etiā in optimas artes quædam, imo multa nunc irrepsisse, quæ potius curiosa quam præclara sint, & ingenium magis deterrant

## LIBER TERTIVS.

57

terant, q; exornent. Artes igitur superuacanæ rei ciendæ sunt, & in bonis, si quid superfluum est, diligenter resecandum, nam ita videmus etiam arbores & plures & meliores fructus proferre: sed hæc omnia cautè facienda sunt, ne necessaria pro superfluis auferamus. Hinc autem facile cognoscere possumus, quo usq; in disciplinis progredi debeamus. Primum non discemus aliquid quod nullam utilitatem proferre potest, deinde duobus propositis, id quod utrius est potius eligemus, & doctrinā omnem dissentium, ingenij exactè dimetiemur: non enim decet ut quis etiam intelligendo modum suum excedat. Non omnia singulos nec etiam omnes homines scire, sed quædam sapientiores tantum, multa quoq; sunt quæ nec illos fas est omnino dicisse. Certè videmus per intelligendi nimia arrogantiā, hominem imprimis de felicitate sua miserrimè deiectum, & tam nostris quam antiquis temporibus sèpe communem statum in plurimas esse cōiectum difficultates. Hinc enim fieri solet, quod à plebe contemnuntur prudentiores & principes, & quod hi sine consilio sapientum male Remp. suam gubernent, quorum exempla plura notiora q; sunt, quam ut hic à nobis debeat recenseri. Primum itaque dicat unusquisque quid & quatenus intelligere conueniat, quem deceat non tantum agendi, sed etiam intelligendi seruari modum. Ingenia minus alta potius in artibus, quæ opus aliquod proferunt exerceantur, generosiora vero in scientijs, quæ propriè solam veritatem æternam sibi proponunt, à qua reliqua tamen proculdubio cuncta suā primā originem habent. Quanquam autem veritas eadem sit ubiq;, se tamen varijs modis, nunc his, nunc potius alijs circumstantijs & personis induitam, præsertim in hac inferiore natura, demonstrat: obscurior in corporibus est, apertissima rerum omnium veritas est in æternis, in phantasia vero nostra, medium quendam locum & naturam

Q tenet;

## DE REPVB.

tenet, in hanc enim eius imago per sensus à corporatura, & per rationē à mēte voluntatis imperio profluit: ita crassa veritas & singularis, æternaq; illa communis in vnum conueniunt, & etiam vis incorporeā cum conditionibus corporatis, in animis tanquam commiscetur: simile quiddam Aristotelici volunt, dum dicunt genera rerum hic non nisi in rebus singulis inueniri. Quoniam autem phantasia nostra multis tenebris propter corporaturam inuoluitur, & opiniones in ea variae, sèpius etiā falsæ versantur, oportet hanc caliginem multis rationibus & experimentis consumi, & ijs sciendi lucem in animis nostris excitari. Verū aperi-  
tissimam veritatem cernere nunquam possumus, nisi ad purissimam & clarissimam eius speciem, hoc est ad mentem perueniamus: hæc enim, secundum Platonem, veritatem omnium rerum insculptam gerit, cuius intuitus animos nostros sapientia perfundit, quæ quidem est ambitu suo reliquas omnes scientias complexa. Ut autem exactè sapientiæ naturam & originem intelligamus, scire debemus, hominem imis suis partibus ex quatuor istis crassis elementis, summis autem, ex diuinis principijs constare, quemadmodum à multis Philosophis multis in libris traditum est, & latius explicatum in Timao Platonis. Cùm autem ab ipsa natura fiat, vt similia similiū & proximorum continuò motibus compellantur, & elementa nobis circumfusa quæq; composita, sunt ex elementis nunquam quiescant, hinc affectionum varia genera confluunt in hanc inferiorem nostram naturam, quæ sursum in tenuiorem corporaturam, & in animum illi coniunctū continuò repant. At quanquam in singulis, etiam in istis infinitis, aliqua veritas est, nam sine ea nihil esse potest, tamen in omnibus hominibus mentem omnia pariter non afficiunt, quoniam æquè non est ubique præsens. Præsens autem est, vel natura vel instituto vitæ, vel propter varios rerum exter-

## LIBER TERTIVS.

58

externarum liberæq; potestatis motus, quemadmodum antea dicebamus: mens enim, vt & reliqui artifices, ijs rerum gerendarum instrumentis libenter vtitur, quibus aliquid commodius cōficere potest: quæ si occasionibus etiam externis commoueantur, & animus diligens sit, id maximum quiddam est ad aliquid intelligendum & agendum: tria nimirū, occasiones oblatæ, natura bene composita, mentisq; sedulitas ad id ipsum requirūtur. Nam plurimos optimè natos & diligentissimos, opportunitatibus rerum sèpe caruisse videmus: exemplo multi veritatis amatores sunt, quibus fortuna rationi defuit, vnde factū sit, vt nihil gesserint quod sit admodum præclarum. Multos etiam multis magnarum rerum occasionibus parum proficere cernimus, vt qui diutius in arduis negotijs, sed turpiter tamen versantur: tum quod natura parum valeant, tum quod in ijs male se gerere velint. Si quis autem rebus multis & magnis ab ipsa natura destinatus, summam diligentiam adhibuerit, & adeptus fuerit eximias occasiones, illi demū aditus ad veram sapientiam patet. Sed oportet vt itineris tam asperi, tam intricati, tam q; inuij, sit indefatigatus cursus, si modo quis ad ipsum locum veritatis amatoribus propositum, peruenire velit. Nam ab his imis ad illa summa, maximum & infinitum spatium est, quod nec à tardis vñquā, nec etiam à celerrimiis animis breui tempore confici potest: Imò nec hi cùm finitas habeant vires, ad immēsum cursum vñquam sufficiunt, nisi ope alicuius sapientissimi & potentissimi perducantur, qui varias errorum tenebras lumine veræ cognitionis ex animis nostris discutiat, vastitatem omnem itineris sentibus & alijs impedimentis expurget, & veram sapientiam nobis certò demonstret, vt est apud Platonem. Is enim eodem authore, quod minus defatigemur, nō tantum nos transfert per omnes difficultates, sed ipse nobis offert, quod tam vehementer expetebamus, ipse solus

Q 2

menten

## DE REPVB.

mentem nostram ambrosia veritatis & voluntatem neccare beatitudinis implet. Illud autem summum quo nobis perueniendum est, intellectus omnia videns est, ipsa vera veritas est, per quam nos quoq; cum ea cōiuncti, eius luce potius quam nostra, puram veritatem cernamus. Si quis autem eò peruerterit, is profectò nihil desiderare potest amplius, nō magis quam is qui iuxta ipsum limpidisimum & vberissimum fontem est, vltiores aliquos nō adeo puros riuos, cùm si quid in ijs est, id prius in illo & multo terius haurire possit: nam quanto longius discesseris, tanto magis omnia materiæ limo incipiunt perturbari. Omnimur turbulentissimi per sensus crassorum elemotorum motus, & ab ijs phātasiæ sunt & opinionis fluctus non mediocriter infēcti: rationis motus puriores quidem, sed tamē nondum sunt omnino puri: ita veritas omnis inferior tanquā aliquid falsi continet, nisi per mentem ab ipso suo principio purissimo depromatur. In eo solo perfecta veritas est, cum qua perfecta quoq; bonitas semper est arctissimè coniuncta. Reliqua verò omnia per aliud quippiā bona sunt & appellantur: ita per naturā naturæ bonum, per mentem autem dicitur bonum mentis: at summum illud perse tantum bonū est, in quo anima vi quadā intellectui superiore planè conquiescit. Fieri verò nequit, vt malus sit is, qui cōquiescit in illo summo bono. Quapropter tam Aristoteles quam Plato, reliquiq; Philosophi recte dicunt, per contemplationem homines Dijs non tantum amicos, sed planè similes reddi, quod vita Deorū sit in æternitatis & summi boni intimo perpetuoq; conspectu. Per sapientiam igitur homines præstantissimi sunt, vt est apud Ciceronem, à reliquis animantibus maximè differunt, & etiam paucissimis rebus egent: nam alimento tenui contenti sunt, & ornamenti potius animi quam corporis delectantur: tales autem ciues felicissima Rep. maximè requirit. Ciues autem appello

## LIBER TERTIVS.

59

appello quos Aristoteles, qui cùm ministros ad agriculturam & alias operas necessarias habeant, istis externis molestijs à sapientia veraq; felicitate non distrahuntur. Sed tamē nec in his nec in alijs, omnes decet esse pares, verū eos reliquis antecellere, vt inquit idem Philosophus, qui principem aliquem locum in Rep. tenent. Itaque legimus Aegyptios, qui reliquis gētibus prudentiores habitis sunt, & summis Philosophis sacerdotes, & è summis sacerdotibus solitos esse facere Reges, quod his eximia sapientia & sanctitate opus esse iudicarent: sed tamen in reliquis etiam bene constitutę Reip. ciuib, si non pares, pro cuiusq; ingenio maximas virtutes desideramus, quas si teneant, ita demum tota Respub. dici poterit verè beata. Summis igitur conatibus enitendum est à magistratibus, vt hi virtutū fontes latissimè per totam Remp. deriuētur, & quamplurimos nostrorum animorū agros q; fertilissimos reddant. Ex sapiētiae fonte multi riuī duci possunt, nimirum omnia vita precepta, omnes disciplinæ. Ex iustitia, religio, pietas, obseruantia, liberalitas, fides. Ex temperantia, verecundia, humanitas, clementia, modestia, eutrapelia, parsimonia, sobrietas, castitas. Ex fortitudine magnanimitas, fidentia, patientia, tolerātia, aliq; multæ virtutes ex his quatuor fontibus oriuntur, quibus animi continuò rigari bonaq; segetis feracissimi reddi debet. Nam tametsi natura fertiles sint, si negligantur potius mala herbas quam bonam frugem producent. Steriles autem sedula cultura Reipub. poterunt vtiles reddi: nam vt ante diximus, vñus superat primam naturam. Magnum quiddam est proculdubio bene quem & à bonis parentibus esse natum, nam ex optimis plantis optimas arbores & fructus optimos prouenire videntur, sed tamē etiam ijs quotannis adnascuntur multa, quæ continuò refecari volunt, & etiam quæ bona sunt facile marcescunt, nisi diligentissimè foueantur: ergo si quic-

Q 3 quam

## DE REPVB.

quam præclari velimus in rebus humanis expectare, virtutes innatae, vt rarae sunt & imbecilles, ita magna cura conservari debent & confirmari, nec id tantum, sed noue quotidie quoque inseri, & vitia quæ plurima passim maximæ sunt, omni conatu refecari & prorsus eradicari: at quantumuis diligenter euellantur, vix adeò tolli poterunt, quin reliquæ supersint, quæ semper in inferiore nostra natura motus nouos moliantur, qui sæpen numero rationem omnem præcurrant, quod si iam eam attingant, eius imperio sunt acriter coercendi, & in eo virtutes sunt, quas Philosophi ciuiles appellant: non quod in beata Rep. sufficiant, sed quod hic nunquā viderint villam beatam. Ciuiles igitur virtutes secundos affectuum motus gubernant, qui quidem ex oblatis rebus expetendis aut fugiendis, nō citra superioris animæ sensum, excitantur: nam primi motus, vt diximus, rationis & ciuilium virtutum imperium non expectant. Sunt autem aliae virtutes quibus animos penitus etiam à motibus infimis expurgari, & hominum mentes, his omnibus humanis curis liberas, arctissimè cum Deo coniungi dicunt, & eas desideramus in eo, qui sapiens & felix sit futurus. Necessarium est, vt ab istis crassis simulachris, quemadmodū in Symposio Phædroq; Platonis disputatur, tanquam per gradus ascendamus, & vt in his infinitis non immoremur: nam vt est apud eius sectæ Philosophos, in corporibus Dei tantum est umbra, in anima vero similitudo, sed in mente illius vera imago, quæ tamē exemplaris sui virtute cupiat illustrari. Cum enim veritatis nobis ingenitæ scintilla tam obscurata sit, vt ne ad inferiorum quidem sufficiat gubernationem, certe quod diuina cernamus, affluente luce diuina nobis plane fuerit opus: quæ quidem secum etiam Dei Opt. Max. præsentiam, hoc est ipsam afferat beatitatem: hęc enim nihil aliud est, quam perceptio perfecta summi boni: cum autem mente percipiat,

## LIBER TERTIVS.

60

tur, mentis assiduis operationibus potissimum bene beatęq; vivere dicemur. Quoniam tamē intellectus tanquam imago in ratione est, & rationis in sensu, & huius etiam in partibus inferioribus nature quedam est similitudo, à summis ad ima beatitas quidem aliqua continuo descendit: sed rursus tamen cū ipsa potius in quiete sit, & in motu quedam sunt reliqua cuncta, mirum non est, si potius eam ad mentem referamus. Itaque necessarium est, vt si nos beatitudinis participes futuri sumus, in vitam aliquā & sensum reuocemur, nec id tantum, sed etiam vt vita nostra reducatur in meritę, & vt hæc præsentia summi boni fruatur: ita homini reliqua cuncta seruiunt, homo vero rerum diuina rum contemplationi. Quod autem nos è peruenire possumus, hinc intelligere licet, quemadmodum inquit etiā Philosophi, quod tamē ratio per uniuersam rerum naturam progrediatur, finis tamen eius, est mens summi boni luce coruscans, à qua etiam principia suæ virtutis deponit. Fine autem suum omnia saltem aliquo tempore consequi possunt. Corpus igitur, vt aiunt Platonici, rationi mentique subiectum, mens Deo, & inferiorum finies ad unum superium tendunt. Dicunt etiam ipsi animam planè sui iuris factam, adeò superare posse materiam hanc, vt & externam corporaturam mutet, & suum corpus immortale reddat, quod si fiat, tum demum hominem vere futurum beatum, corpus nimis animæ cōunctione, & tam hanc quam illud virtute summi boni, quod solum perse, reliquorum quodq; per illud tantum potest esse beatū. Quapropter necessarium est vt ad summum bonum omnes actiones nostræ recte contendant, siquidem in eo solo felicitas omnis est collocata. Verum si rem vnamquamq; tum demum cognoscimus, vt est apud Philosophos, dum primam eius causam animis nostris tenemus, cum summum bonum & principium & finis sit, vt omnium aliorum, ita

Reip.

## DE REPVB.

Reip. quoque bene constituta, quamquam de eo iam multa dixisse videri possumus, non fuerit alienum, si hoc loco, in quo felicitatem nostrā quārimus, adhuc paulisper eius naturam, quam nūquā vel satis inuestigare, vel penitus inuenire possumus, perpendamus. Nam in eo virtutes omnes tam priuatæ quām publicæ planè cōquiescunt. Quod autem illud summum perfectum sit, ex ijs quæ diximus, & ex alijs multis facile intelligere licet. Nam si ope cuiusquā opus illi esset, non quidem omnes, adeoq; deficiētes vires, & ab aliquo superiore principiū suæ constitutionis haberet, & ideo verè summū bonum non diceretur, quando quidē eius effectrix causa priorem dignitatē obtineret. Nec etiam illi quicquam par esse potest, siquidem nulla causa superior est, à qua suam originem duorum æquabilitas deducat. Quapropter oportet, vt reliqua cuncta posteriora sint & inferiora, quæcunq; naturæ rationisq; limitibus circumscripsi: oportet vt hæc facta natura, licet in suo genere perfecta sit, cùm ab illo distet infinitis interuallis, nō sit natuum & necessarium immensitatis illius, sed liberū eius opus, quod plurimū, præsertim his infimis suis partibus, ab æternitate degenerarit, quamquam etiam similitudinem quandam gerat illius exemplaris diuini, quemadmodum etiam Plato scriptū reliquit. Hinc enim præcipue iudicat, quod vnius mundus sit, nimirum vnius æterni vna similitudo. Oportet autem vt totus eum semper spectet, cuius imaginem refert. Cūm igitur in hac vniuersitate debent esse res diuersissimæ, quæ necessariò suis analogijs in vnum conuenient, factum est vt commodissimis quibusdam medijs inferiora rursus ad originem suam primam & ad ipsam æternitatem reuocentur. Homines enim & mentes mundo præesse voluit Deus, qui & eius maximā quādam similitudinem contineret, & illi per gratiam conglutinat, cum superioribus inferiora in pulcherrimum quendam

## LIBER TERTIVS.

61

dam ordinem coniungerent: sic vnius summi virtute cuncta suspensa sunt, & etiam infima cum summis per sua media sunt optimè cōnexa. Medium autem accommodatissimum humana natura fuit, in qua mens cū corpore, & illa cum illis mentibus æternis, hoc cum externis his corporibus naturali vinculo coniungeretur, de quo latius disputat in Timæo suo diuinus Plato. Cūm autem hæc simulachra corporea cum puris suis exemplaribus conueniant, in homine per sensum & intellectum ambæ vicissim singulares communesq; veritatis ideae consentiunt in vnam mutuam cognoscendi naturam: sed tamen hominum felicitas hac humana cognitione nondum est contenta. Nam cūm natura nostra cum diuina per gratiam sit coniuncta, suas vtraq; cōsentaneas alteri quidē, sed tamen vtraq; suas leges habet, inter quas superiores illæ diuinæ tenent principatū. Itaque si qui naturali ratione non tantum diuinā voluntatem, qua naturæ leges continentur, sed & eam qua naturæ leges factæ sunt, planè scire volunt, proculdubio vehementer à veritate aberrat. Nam ratio nostra solo rerū ipsarum animo concepta natura & ordine constat, quo non coercetur is, qui tam ordinem omnem quām rationem ipsam fecit. Ergo secundum leges, non autē vñquam de legibus naturæ nostra debemus autoritate iudicare. Qui humano potius ingenio quām autoritate diuina freti, rationem diuinæ voluntatis querunt, quām quidem etiam ipsa ratio monstrat nulla ratione comprehendendi posse, eo ipso profectò turpiter deserunt omnem rationem. Aliquid igitur, imò multum, vel potius omnia, siquidem in eo sunt omnia, vt inquit Plato, naturæ rationi; superiora sunt, à quibus, vel à quo potius uno, qui perfectè cōtinet omnia, habet vnumquodq; quicquid habet: vnde cognoscere licet, in alio quām humano cōfilio felicitatem nostram esse, ad quod quidem omnes actiones nostræ sunt instituendæ:

R nam

## DE REPVB.

nam quanquā & his externis veritatis imaginibus nos obligeari permisit Deus: quanquam pulchrum illius solis rutilum iubar est, & formosissima facies lunę serenę: quamuis cæterarum stellarum tam varius splendor, gemmarum nitor, herbarum animantiumq; vis & forma quemuis obligeare possit: tametsi pulchra sint hæc singula & pulcherima quæ constat ex his omnibus rerum natura, tamen hic nihil fermè tam perfectum est quin perfectius aliquid ex cogitari possit, imò cuncta hæc vario defectu laborant, si cum illo perfecto conferantur, quod etiā ni esset, exercenda virtutis magna materia nobis deesset, nec esset quod alteram illam vitam absolutam tam vehementer expetendam putaremus, quam omnes qui bene iudicant, quoniam multò meliorem sciunt, merito summis votis expectant. Certe conducebat nobis, ut non tantum desiderio bonorum alli ceremur, sed etiam odio malorū cōpelleremur ad felicitatē. Sic homini reliqua cuncta, sed ipse Deo sibiq; seruit, dum per gradus ad primam suam originem continuò recurrit: nam hæc naturæ veritas est crassior & impurior, quam ut in ea sæpe, nedum continuò sit versandum, purior in animalibus & mentibus, purissima rerum omnium veritas est in Deo, in quo nobis demum est conquiescendum. In homine veritas omnium rerum corporatarum est, in mentibus etiam omnium hominum, at in Deo sunt omnia perfecta, qui non tantum veritatem omnem videt, sed ipse summa veritas est omnium rerum, quam, cùm non habeat aliquid adiunctum falsitatis, subterfugere nihil possit. Ipsum verò, nisi eum prorsus insipientem fingere velimus, proculdubio sui ipsius verissimam perfectissimamq; quandam imaginem mente concipere non negabimus, ad cuius aliquando similitudinē expressit hanc rerum omnium naturam. In illa depicta est perfecta hominis species, perfecta solis, perfecta mentis & huius totius vniuersitatis: &

mentes

## LIBER TERTIVS.

62

mentes quidem beatæ pro viribus exemplar suum semper imitantur, natura semper quoq; suas adimpler egregiè partes, sed homines penitus aberrarent omnes, nisi inter eos unus esset optimus artifex, qui manum nostram ipse duceret, & egregiè dirigeret penicillum. Iste solus absolutissimè exprimit speciem humanam, quoniam in se continet ipsissimam effigiem diuinam, cæteri verò tanto perfectius, quanto propius eum imitatur. At qui destituuntur ab hoc optimo magistro, necessarium est ut prorsus aberrent, turpisimaq; monstra configant, quorum tamen comparatione multò pulchriores fiant imagines illæ diuinæ, & omnium absolutissima illius artificis imago, in qua suis verissimis lineamentis perfectissima sunt, quæcunq; vel in cælo vel in terra præclarè geruntur. Nam eatenus cuncta vel esse, vel egregiè aliquid facere possunt, quatenus illius summi characterem aliquem continent, cuius veritas & pulchritudo perfecta tantum sit in ipso sigillo. Cùm igitur unus sit, qui & æternam & Dei beneficentia factam perfectionem humanam in se continet, eum authorem & conseruatorem nostræ felicitatis non dubitamus appellare, in quo, tametsi propter has miserias continenter hic ingemiscamus. & etiam nobiscum ipsa rerum natura, summis animi virtutibus viuimus, quarum fides est solidissimum fundatum. Quanquam autem inquisitione veritatis nos quoq; multa discere possumus, ea tamen omnia potius humana sunt quam diuina, quibus Deum, qui infinitis mēsuris nos superat, intelligere non licet. Cùm tamē ab eo cuncta fiant & conseruentur, quo nostras actiones ad proprium instituamus finē, eius proculdubio cognitione nobis est opus. Itaque singulari erga nos benevolentia sui necessariam cognitionem nobis dedit, qua cerneremus ea quæ alioqui nūnc cernere non possumus, & tamen postea nos clarissime visuros esse speramus. Per spem enim cælitus acceptam

R 2

ad eo

## DE REPVB.

adeò nos cōfidimus de benevolentia Dei, vt per hanc nos felices esse futuros putemus. Qui verò pulchritudinis omnis & rerum omnium bonarum vnicū authorem fide cognouit, & aliquando per eius fauorem pulcherrimo conspectu se perpetuo fruiturum cōfedit, incredibili quodam eius accenditur amore, quo cum eo planè coniunctus in vnum, se omniaq; tantum ad eum vnum refert, cui procul dubio cuncta debentur. Hæc autem virtus charitas appellatur, quæ tenet inter reliquas omnes principatum. Sed tamen hæc omnia sunt hic densa quadam caligine obducta, si cōferamus cum ijs spectaculis, quibus posse cum exuerimus hanc turpissimam peccati labem, ac alijs nitidissimis tam animi quam corporis ornamenti fuerimus induiti, iucundissimè fruemur. Hic audimus veritatem multis ænigmatis inuolutam, illic autem audiemus apertam: hic tanquam in carcerem conclusi, temporaria cæcitate tenemur, & tantum pauca quædam percipiimus eorum quæ foris geruntur, ibi verò cum summa voluptate cuncta cernemus in clarissima luce, quæ quidem vt sanos oculos maximè oblectare, ita oculos mentis exulceratos vehementissimo dolore ferire potest. Verum vt humana quoq; natura particeps eius felicitatis esset, opus erat aliquo perfectissimo, qui non tantum voluntatem & mentem humanam, verum etiam diuinam ipsam, arctissimè semper cum ea cōiunctam, qui pariter verissimam & absolutissimam hominis speciem, & immensam illam pulcherrimamq; rerum omnium factarum exemplarem imaginem, adeoq; Deitatem ipsam cōtineret. Hic igitur merito rerum omnium dominus est, qui non homo tantum, sed etiā Deus sit, non modò quæ admodū nos gratiæ diuinæ participatione, sed indiuidua & inexplicabili naturæ diuinæ cum humana in vntum con spiratione: is autem ipse verè finis omnium nostrum est, ad quem omnes operationes nostra nobiscum tendunt: cum eo, per

## LIBER TERTIVS.

63

eo, per eius vnius gratiam, non tantum voluntatibus, sed insuper & naturali quodam vinculo arctissimè cōiuncti, perpetua tandem felicitate perfruemur. Humana natura, præsertim iam usqueadè debilitata, non potuit ad diuinæ adsurgere felicitateq; sua potiri, nisi diuina fæse prius summisset ad humanam, & hanc sui participem, imò in vno plenam fecisset. Nō ergo tantum ad similitudinem Dei facti sumus, sed etiam per Dei misericordiam eum ipsum in nobis versantem habemus, qui non tantum perfectam naturam humanam ex ipsissima specie mentis diuinæ absolu tissimè expressam continet, sed etiam verissima Dei Opt. Max. imago, adeoq; verus fit Deus. Ita quoniā hæ res omnes hominis sunt, homo Christi, Christus autem Dei, imò verò Deus, pulcherrimè varietas omnium, quam degeneratio rerum à suo principio peperit, reuocatur iterum ad pri mum suum fontem, à quo suis quibusdam riuis omnia dimanarunt. Is igitur qui veritatem omnem intelligit, qui hæc omnia & ex omnibus vnam formam vniuersitatis fecit, ex omnibus bonis hominibus vnum sui ipsius tanquam corpus constituit, cuius omnes partes arctissimè contueniāt in vnum: nimur quæ ex ipso veritatis sapientiaq; diuine principio spiritum vnum hauriant, qui pariter eas ad æternam felicitatem gubernet. Certè necessarium est, ab illa im mensitate ea quæ suis hic temporibus sunt dimensa comprehendti, necessarium est tam hanc naturæ quam illa sub fidei velo reconditæ veritatem, in apertissimæ clarissimæq; veritatis æterna luce cōtineri, hanc vitam cum morte coniunctam, in ea vita, quæ quoniā indeficiens est, & sola reddit omnia viua, non tantum interitum nullum agnoscit, sed mortem ipsam in iucundissimam vitam cōmutat, denique omnia bona nostra, si quicquam futura sunt, nesse est, vt sint in illo summo bono, sine quo & reliqua cuncta, & felicitas, quæ in bonis sensu est, confessum euane

R 3      scant,

## DE REPVB.

scant. Quapropter cùm optimum in optima Repùb. & in alijs etiam rebus omnibus finem proponi deceat, & ad eum consequendum optima quædā adhiberi iñstrumenta, non mirum esse debet, quod proponamus hic nobis summum bonū, ad quod omnes actiones nostras instituamus, quod idem Aristoteles interdum facere videtur, cùm ad illud bonum immotum, hoc est sumnum, cuncta ferri dicit, præci puer tamen artem Reip. quæ reliquias omnes comprehendit, & dum felicitatem Reipub. finem asserit, quam definit vitam iucundam, secundum perfectam virtutem per se expectandam, & etiam energiam præcipuæ nostræ partis nimurum mentis, quæ libenter in æternitate circa summum bonum versatur. Non quod hic finis in omnibus, etiam in mechanicis & alijs infimis operationibus necessario considerandus sit (nisi quatenus virtus spectatur, quæ semper ad summum bonum contendere debet) sed quod is quæ dixi vltimus Reip. finis sit, ad quem ipsa tota, quatenus fieri potest, ab eis moderatoribus est gubernanda: quanquam infirmores varij sint rerum & hominum gradus, qui tamen omnes ad illum ipsum suis ordinibus referantur, ab ijs qui sapientes sunt, & latius atq; altius vident, quales Rerum predictores esse decet. Cùm autē hæc non parū ad Remp. pertineant, nemini mirū videri debet, quod hīc paulò latius excurrat: id enim mihi sèpius faciendum esse puto: nec etiam nimis vel latè vel frequenter dici possunt ea, quæ nulla oratione satis explicari queant, & debeant animis semper obseruari, omniisque oratione celebrari. Quanquam igitur varij rerum & hominum gradus sunt, & singuli fermè sunt proprijs suis operationibus vel ab ipsa natura vel instituto vitae destinati, quanquam etiam leges, cùm se negotijs & ingenij accommodent, videantur esse debere diuersæ, tamen omnes eundem sibi scopum proponunt, à quo viris bonis & sapientibus mentis aciem, præsertim in nego-

## LIBER TERTIVS.

64

negotijs grauioribus, deflectere nunquam licet: Quod autem ad finem suum, quanquam is vñus sit, diuersi diuersis itineribus contendant, minimè mirum est, siquidem ab eo nō pari cùm interallo tum situ locoru distant. Cùm enim humana vita nihil aliud quādā peregrinatio quædam esse dicatur, & multæ variæq; virtutis viæ sint, oportet ea quæque progredi, quam tenere potest, nisi per invia periclitari molestijsq; varijs cōfici malit. Quod si viæ sint admodum inter se dissimiles, tamen difficiliores & remotiores in alias meliores continuò desinunt, donec, cùm ad locum destinatum proximè ventum est, omnes coēant in vnum. Itaque cùm quiescere non debeat illi qui faciunt iter, donec peruererint ad propositum finem, necessarium est, vt siquidem in vno posita felicitas omnis est, is in omnibus qui felicitatem petunt planè sit idem. Ab hoc autē qui in contrarium recedunt, per innumerabiles vias incidunt in infinitos intelligendi & viuēdi errores: & haec tenus de fine felicitateq; nostra satis multa dixisse videmur, tametsi, cùm in eo sint omnia, nobis in eius mētionē subinde veniendū erit. Sed abunde iam ostēdimus quas res internas in singulis & in omnibus ciuibus potissimum requiramus: nā cùm ex animo constent atque corpore, quid in vtroque maximè conferat ad cuiusque Reiq; pub. felicitatem, & in quo posita præcipue nostra felicitas sit, iam est demonstratum. Quoniam verò natura comparatum est, vt homines vitam suam & dignitatem sine præsidij exētris tueri non possint, de ijs deinceps dicemus. Eorum alia planè necessaria nobis sunt, vt ea quibus humana natura conseruatur, alia tametsi conducant, eiusmodi tamen sunt, vt ijs quis possit sine magno vitae suæ periculo carere, & hæc rursus omnia, vel ad animum pertinent, vel ad hanc inferiorem corporaturam. Cùm igitur homo non tantum hanc ipsam terram pedibus contingat, sed vertice sepe etiam per maximos illos omnium

Externa

## DE REPVB.

omnium cœlestium corporum circuitus in ipsam æternitatem extendat, & cum vnum tantum suapte natura potuerit esse perfectum, & reliqua postulent omnia quibusdam externis auxilijs Deiq; beneficentia iuuari, summa pars animæ, quæ circa diuinæ versatur, nec non & reliqua cuncta, sed hæc eximiè diuinæ opem requirit. Necessariū est enim, quemadmodum etiam ex ijs quæ diximus est manifestum, vt hauriat insigniter à Deo spiritu vitalem & altricem succum, quo sustinetur, regatur, & suum tanquam incrementum sumat. Quemadmodum enim radij solis, quamquam ab eo diuersi, suam non tantum naturam, sed etiam conseruationem illi debent, sic quicquid bonū est, aut esse potest, id à summo bono & fit, & etiam ab eodem conseruatur, & quantò meliora sunt omnia Deoq; proximiora, tanto virtutem eius sentiūt euidentiorem. Varietas autem rerum & animorum, nec hīc, vt nec vsquā alibi, summam in omnibus æquabilitatem admittit: verūm oportuit vt, cùm unus omnium principium & finis sit, omnia sic inter se diuersa sint, quæ per suas analogias digerātur in hāc pulcherrimam formam vniuersi. Non igitur pares benevolentiae diuinæ fructus percipiunt omnes, sed tamen in ijs, qui vt verē homines sunt, ita finem hominibus propositū aſſequentur, tanti sint, qui sic animos eorum reficiant, vt pie-tatis negotijs sibi necessarijs sint pares. Cùm autem artifex ille summus nullius indigeret, & in eorū quæ fecit utilitatem omnia instituerit, non omnium quidem, sed eorū præcipue, qui tenerent in omnibus principatum, hominū scilicet, & quidem optimorum, & cùm ijs pro conditione cuiusq; sit opus spiritu diuino, quo continuo recreentur, id sine quo eius felicitatis aliquo modo particeps quis esse non posset, necessarium, id quo superat unus alterum, utile potest appellari. Non quidem omnes parē felicitatis grā dum obtinent, & quisque tenere cupiat aliquem illustrē: attamen

## LIBER TERTIVS.

65

attamen omnes huius classis beati sunt aut erunt, & quæ ad eam vitam necessaria sunt omnes, non tamē omnia quæ sunt vtilia pariter habent. Cùm autem nihil frustra Deus faciat vñquam, nos etiam aliquid, quanquam id perse exiguum esse potest, ad felicitatem nostram vult conferre, cu ius vim ab origine naturæ nostræ insævit. Quid autē id sit quod ad felicitatem necessariū est, sacris legibus satis est expressum, vt etiam & reliqua præmia benevolentiae diuinæ. Preter naturā nostram igitur, præfertim hanc corruptam, legibus etiā sacris, & singulari Dei benevolentia nobis omnino fuit opus. Verūm cùm omnia bona miris modis inter se conueniant, & ab ipsa natura comparatum sit, vt à superioribus inferiora iuuentur, & ab his illa vicissim colātur, æthereæ mentes nobis multò superiores, & Deo seruiunt, & nobis etiam vtilitatem diuinæ prouidentię consentaneā ferunt. Quapropter nos & in ijs, & in nobis, & in omnibus diuinam erga nos beneficentiam sentimus. Post res illas diuinæ alia multa sunt, quæ partim ab ipsa natura, partim humana quadam industria fiunt, & vel animis nostris rea-vvel corporibus seruiunt: imò omnia seruiunt gloriæ Dei. Instrumenta verō præcipua, quibus animus in hac natura versatur, spiritus quidam ætherei sunt, qui motu positiq; siderum, conueniunt in compositionem humanam, quemadmodum clarissimi Philosophi scriptum reliquerunt: & nos etiam alio loco sumus latius demonstraturi, quomodo non tantum quatuor elementorum, sed etiam contemplatione corporum cœlestium omnia fiunt. Cùm autem diuersis temporibus & locis variæ sint siderum vires, hinc est tantum rerum omnium discrimē, quantum à nobis vel discerni vel explicari nequit. Non enim tam exacta rerū temperies est, quin à mediocritate diuersissimos defectus & excessus, modò nimij non sint, admittat natura, & adeo quidem admittat, vt nunquam hīc aliquid videat, quod sit

S. omnibus

omnibus suis numeris absolutum. Ita varijs rerum gradus sunt, & multa nobis h̄ic necessaria, sine quibus vivere nullo modo possemus, multa quoque si non necessaria, talia sunt tamen, vt sine ijs salutem & dignitatem nostram non possimus egregiè tueri. Hæc autem à magistratis omnia diligenter considerari, & earum rerum periti frequenter in consilium adhiberi debent: nam id non mediocriter confert ad Respub. vel constituendas vel conferandas. Ita legimus multas malè positas, fame, peste vel alia fortunæ vi subito perijisse, nonnullas magistratum sapientia, qui rebus periclitantibus remedium adhibere scirent, ad aliquod tempus egregiè conseruatas esse, raras bene fundatas & gubernatas suum imperium in magna temporum & locorum spatia extendisse. Scimus etiam nouos naturæ motus exoriri solitos, quibus etiam optimus rerum status labefactetur, quos nonnunquam viri sapientes & præ sagirè & auertere possunt. Sanè quia plurimum natura, presertim illa cælestis potest, plurimum refert, vt eam diligenter inuestigemus, ad res omnes cùm priuatas tum publicas rectè componendas. Reliqua verò quatuor elementa corporis nostri, quia nobis propiora sunt, euidentius cognoscuntur, nec aliquis est, qui ea necessaria neget ad vitâ: non enim potest statim non interire Resp. in qua vel deficiunt hæc vel corrumpuntur. Aëris enim cōtagio s̄pēto. tas regiones euertit, & aquarum confluxu vel defectu legimus, & expertissimus, multas vrbes miserrimè perijisse: caloris etiam excessu vel defectu magnam orbis partem incul tam esse scimus: nec potest in solo admodum sterili felix esse Resp. quantumuis ciues habeat bene formatos. Sint hæcigitur omnia, si non optima, saltē mediocria, & ijs optimè ciues omnes vtatur, vt & corporis necessitatibus & alijs commoditatibus seruiant, & ijs omnibus virtus & pietas non modo non lədatur, sed semper prouehatur. Idem est etiam

etiam in reliquis omnibus, quæ terra producit obseruādum, vt ad incolunitatē & salubritatem conferant, & potissimum ad virtutem. Itaq; cōsiderandum, quid boni malūue singula proferre possint, vt illud quidē semper quām maximum, hoc autem, si planè vitari nequit, quām minimū eligatur. Primum necessarium est vt viuant ciues, vt alimentum & tegumētum iustum habeant, & etiam ea quibus morbos & reliquias iniurias ingruentes repellant: est etiā optabile si fieri potest, vt cōmodè viuāt, modò commo ditas ea semper referatur ad pietatē. Quanquā autē externa bona diuisa sunt in ea quæ singulari Dei benevolentia, quæ ab ipsa natura quæq; hominum industria proueniūt, singula tamen in omnibus fermè partem suam aliquam habent: nam in uitius nemo fauorem diuinum percipiet, & natura quoq; diuinum & humanum auxilium requirit, & sine gratia naturaq; nullæ fuerint nostræ actiones: sed tamen diuinum auxilium, cùm in omnibus necessarium sit, & nunquam non optimum esse queat, reliquorumq; bonorum omniū sit causa, in omnibus lōgè principatum tenet. Natura verò cùm nostra tum externa quoniam iam multis modis est debilitata, & tam instrumenta malorum quām bonorum proferre solet, cauendum est ne nos vtilitatis specie miserè decipiamus, ne virtutem vtilitati falsæ postponamus, ne minorem vtilitatem pro maiore, aut etiā interdum pro lucro damnum accersamus: nam multa tam varijs circumstantijs & difficultatibus inuoluta sunt, vt non nisi maxima inquisitione clarissimoq; iudicio possint inueniri. Aliud alijs locis & temporibus & etiam hominibus vtile est, ciuitatum etiam magnum & multiplex est discrimen: quædam maritimæ sunt, aliæ mediterraneæ, non nullæ populosæ, multæ parum habitatæ, & vel ditiores luxuiq; magis deditæ, aut sunt etiam quām oporteat paupe riores, & vel munitæ sunt cōtra qualis vel præcipuas in

## DE REPVB.

iurias, vel obnoxiae quibusuis externis malis, & aliae sunt innumeræ differentiaæ, quæ quidem omnes oratione comprehendendi non possunt, & per singulas ciuitates diligenter considerari volunt, ut cognoscamus, quid ex unoquoque virtutib; vel virtutis, damni vel utilitatis oriatur, illudq; quatenus fieri potest refecetur, hoc autem diligentissime fouetur. Ita videmus peritos agricolas hos agros hoc pacto alios alio colere, nec semper eodem semine, sed hoc cælo hac arte, alio non eadem vti: nam quam vehementer temporum & locorum interuallis res & homines mutentur, notius est, quam ut probari velit: at necessarium est pariter ratione ipsam gubernâdarum ciuitatum permutari. Quapropter, quid & quo tempore locoq; sit honestum & utile videntum est, publicumq; priuato semper preferendū, & quod ad animum pertinet corporis bonis & externis. Hec autem potius utilis, vel iucundi, vel delectabilis proprium nomen habere videntur, illa potius honesti, seu recti, seu laudabilis, seu quodcunq; aliud nomen imponere libet: quanquam & honestum dici potest quodq; quatenus ad summum bonum recta tendit, utile vero quatenus illud idem in nostrâ felicitatem redundat. Verum de animi corporisq; bonis antea satis multa dicta sunt. Nunc autem externa fuerant à nobis consideranda, quæ tamen quandoquidem ad corpus & animum pertinent, quemadmodum iam sepe diximus, oportebit ut ad illa priora bonorum genera subinde recurramus. Nihil enim est in tota natura rerum, quod nos admonere non possit & debeat ad virtutem, nec tam facta vi detur hæc vniuersitas, ut nostri corporis necessitatibus seruat, quam ut animos nostros excitet ad rerum diuinorum cognitionem: nihil in ea esse fieriue potest, quod pios homines ad Dei Opt. Max. admirationem, laudem & amorem non accendat. Nos enim ob id ipsum in hoc celebrissimo sanctissimoq; mundi téplo sumus, etiam authore Cicerone

## LIBER TERTIVS.

67

rone, ut eum assiduo veneremur, cui totum est dedicatum: ergo necessarium est, ut præcipuas nostras actiones & rerū externarum etiā usum semper ad Deum referamus. Quoniam autem quæcumque facimus suis temporibus & locis circumscripta sunt, & in ijs ipsis magnas occasiones habet ut melius aut deterius fiant, ideo statim quædam tempora locaq; sunt à viris diuinis afflictis & ab ipso Deo instituta, quibus præcipue pietatis negotia gereremus, ita tamen ut interim alijs temporibus & locis, quibus esset oportunitus, ea non intermitteremus. Dici vero non potest, paucis diebus ademptis in angustum occasions rerum gerendarum concludi, nec terrâ coli, nec ad vitâ necessaria quæri posse. Non enim tantum eo tempore homines ociari videmus, sed plurimos etiam reliquo, quod laboribus est destinatus, & etiam illi quibus minimè cessandum est, intermissione aliquam operis requirunt, qua quidem religionis antistites ad negotia pietatis melius tractanda nos vti volunt, in qua, quoniam ordinem aliquem vitæ sequi debemus, statim temporibus vnanimiter & ardenteribus desiderijs incumbamus, cum interim per Dei misericordiam rerum natura semper pro nobis, etiam quiescentibus & dormientibus, labore. Cælorum orbes nunquam suos cursus, quibus rerum omnium vicissitudines transfigant, intermittunt, nec terra cessat nobis vnam quam dulcissimos suos fructus proferre: proficeret etiam multò uberiiores & meliores, nisi sterilis nostris virtutib; fieret & impietate, ideoq; virtutibus maioribus nobis opus est, quo reddamus eam magis fœcundam, & commercio rerum diuinarum, quod profectò res istas humanas interim excludat. Commerceum istud diuinum siue beatum otium vel grauissimum potius mentis negotium appellare velimus, dubium esse nequit, quin nolit istis externalis impedimentis perturbari. Necessarium est igitur ut aliquas occasions habeamus, quibus Deo liberius seruimus,

S 3

mus,

## DE REPVB.

mus, & tamen interim alias omnes conducibiles vndiq; ca-  
ptemus. Ideo templo quoq; rebus diuinis consecrata sunt,  
in quæ nos à tumultibus reciperemus, quò possemus com-  
modius de religione negotijsq; salutis nostræ cū Deo tra-  
ctare. Quoniam igitur non tantum animi puri, sed homi-  
nes, hoc est ex animis corporibusq; compositi sumus. &  
hīc composita negotia semper exercemus, operæ pretiū est,  
vt quæcunq; sensibus obvia sunt, præsertim in templis, ad  
virtutem & pietatem cōducant, & vt ea quæ lādere viden-  
tur religionem, ab ijs omnia prorsus excludantur: ne sum-  
mos ibi viri boni dolores accipiant, vbi maxima vitæ solatia  
querunt, & malis præbeantur occasiones grauius peccan-  
di, vbi debuerant à vitijs ad virtutem omnem reuocari: nā  
dubium esse non potest, quin temporum & locorum cir-  
cumstantijs crimina maiora fiant. Quapropter nihil sit vs-  
quam, minimūm tamen in templis, quod ad impietatem vl-  
lam inuitet, nihil sit quod non ad pietatem omnem, quan-  
tum fieri potest, nos accendat. Ad hanc etiam vnam omnes  
ceremoniæ referātur: quæ si nimiaæ sint, animum tam gra-  
uare quām attollere possunt: necessarię non tantum singu-  
larem quandam nostrę salutis virtutem continent, sed etiā  
à corporum vmbbris ad rerum diuinarum inspectionē nos  
tanquam manū ducunt. Oportet autem vt ab istis externis  
signis sensim ad rerum diuinarum recordationem perue-  
niamus. Huc etiam omnes imagines, huc omnes cantus &  
conclaves spectent: in quibus, & in omnibus alijs, diligen-  
ter obseruemus, vt nihil indecens sit vñquam in templis, ac  
non vehementer religiosum. Res sacræ nihil admittūt, nisi  
quod omnino ferium sit atque seuerum: ludicra vero om-  
nia, quæ suapte natura stulta sunt & inepta, si propter sto-  
lidam nostri partem, ad contentioris animi relaxationē in-  
terdum utilia sunt, vel in foro vel priuatim in ædibus, non  
autem in templis exerceantur. Certè legimus sapiētissimos  
omnes

## LIBER TERTIVS.

68

omnes, præcipuè tamē Christianos, ab huiusmodi ineptijs  
plurimi abhorruisse. Nec exigua quis hæc esse dicat, quæ  
cūm semper fertilissimè crescant, tandem etiam maxima fi-  
unt. Cūm enim omnes ad istas leuitates simus admodum  
proni, cūmq; nos illa stulta voluptas natuvis quibusdam  
senocinijs ad se semper trahat, ac etiam ea vis illecebrarum  
sit, vt quantò proprius admouentur, tantò maiorem habeāt  
potestatem, si nos in eas demiserimus, haud est perinde fa-  
cile gradum reuocare. Ideo putarunt veteres sapientissimi  
sanè viri, circa hæc principia, quæ, tametsi leuia videntur,  
graues tamen habent exitus, esse summam quandam dili-  
gentiam & animaduersiōnem adhibendam. Scimus quidē  
esse necessariam remissionem, sed non adeò frequente, sci-  
mus relaxandas esse vires, sed non deponendas & eneruan-  
das. Nam feria non eiusdem omnia generis sunt, nō parem  
animi contentionem requirunt: alia totum robur postu-  
lant, alia verò tantum dimidium. Quemadmodum autē in  
fidibus cōtingit, vt interdum quidem intensiores, interdū  
etiam chordæ laxiores, sed obseruata tamen interim semper  
decenti analogia, pulsentur, ita fieri debet & in animis no-  
stris, qui cum illis proculdubio maximam quandam affini-  
tatem tenent, vt si nolimus consonas, non illico velimus dif-  
sonas, cūm quiescere possimus, & si relinquamus primas,  
non protinus accedemus ad vltimas, cūm intermediæ mul-  
tæ sint, quæ certè bene formatos animos magis delecent.  
Decorum quidem, vt in tota rerum natura, ita & in animis  
& actionibus nostris diligenter est vbique seruandum: ta-  
men inter ceteros sensus (vt antea dicebamus) in oculis &  
auribus evidentiūs appetet: quod hi sensus menti proximi-  
sint, & ad cognitionem diuinorum maximē nobis sint ad-  
iumento. Quapropter curandū est, vt ea quæ videntur &  
audiūt, præsertim in templis & locis publicis, vehemen-  
ter nos incitent, & ad rerum diuinarum cultum, & ad hu-  
mana-

## DE REPVB.

manarum vtilem institutionem. Verum turpitudo nō tantum è rebus sacris & publicis, sed etiam priuatis est diligenter extergēda: nam ubi membrum aliquod laborat, nisi vel lanetur vel auferatur, necesse est ut morbus in proximas partes, & tandem in totum etiam corpus serpat. Maximè tamen omnium prouidendum est, ne illa quæ p̄cipua sunt in Rep. corrūpantur, quoniā quantò quid præstantius est, tāto eius interitus semper est maioris mali causa. Cūm itaq; diuina longè maxima sint, maxima diligentia circa negotia religionis fuerit adhibenda: in templis imagines omnes religiosæ sint, similiter etiam omnes actiones: quod quidem nunquam fiet, nisi tales harum rerū sint magistri, qui sciāt egregiè quid in quoque negotio maximè deceat, nimirum multarum rerum & ingeniorum periti. Quapropter oporet vt authoritate publica summoq; iudicio, qui sint ad has res accommodatissimi, cōstituantur. Forma quæq; rerum & ipsa sola figura nescio quā latentem in se continent energiam, quæ quidem sensus nostros & mentes non mediocriter in hanc vel illam partē commouere possit. Ex intimis enim viribus rerum exteriores efflorescūt, quæ per oculos animis nostris conceptæ, nos occultis quidem s̄epe causis, sed euidētibus motibus impellunt. Nam si naturam industria vel corrigere possumus vel deprauare, si externis motibus non semper cogimur obsequi, tamen eam quantumvis corruptam omnes fermè sequimur, quocunq; nos rapiat, tanquam faciendorum omnium ducem. Ita fit, vt sensibus potiū quā rationibus inducti, ab externa specie statim incidamus in latentes quasdam proprietates rerum, quas etiam inferior animorum nostrorum virtus imitatur, & hæc s̄epe voluntatis assensum secū trahit. Quis cōspecta mœsta, lachrimosa miseraq; hominis facie, quanquā sit durissimus, protinus non commoueatur? quis non exhorreſcat intuitus terrible cacodaemonis spectrum? quis non mollescat

## LIBER TERTIVS.

69

mollescat & eneruetur, qui videat formam venustissimam foeminæ lasciuentis, & quidem statim occulto quodam sti mulo naturæ, qui frequenter rationis iudicium nequaquam expectet. Quapropter tantum nobis proponere debemus ea, quæ nos ad virtutem & religionem admoneant, & artificio tanto formata sint, ut eo solo nos ad pietatem possint commouere, quod etiam in cantibus fuerit diligenter obseruādum. Nam quantum intersit decenter canere vel indecenter, satis illæ gentes demonstrarunt, quæ tonos suos vel ad virtutem vel ad vitium seruntur imitatae. Itaque legimus in sacris libris, homines à dæmonibus vexatos in diuinis cantibus remedium adiuuenisse: verum nunc tales fermentè sunt, vt nos potiū ad vitium incitare possint. Cūm enim omnes homines, maximè tamen adolescentes, vt est apud Platonem, vehementer dlectent, facile si quid vitij continent, idipsum cum voluptate efficaciter in animos audientium effundunt. Nam animus noster vel numerus, vel numeris, pr̄fertim harmonicis, simillimus est, quēadmodum grauiſſimi Philosophi testantur. Quapropter non tantum ad honestum otium musica, & ad laboris relaxationem, quemadmodum Aristoteles putat, sed etiā ad quēuis negotia nobis conducit, siquidem, quemadmodum ipsemē factetur, ipsa cum arte pingendi pulchritudinem rerum nobis demonstrat, quæ cognita, nostros animos non allicerere nequit. Sed cum eximia cuncta rara sint, & turpia proprium infinita, cumq; musica varia sit, nec etiam quæ laudabilis omnibus ingenij & negotijs conferat, in ea bene discernenda non leue iudicium fuerit adhibendum. Dorius tonus mediocritatem maximè seruat, in qua positæ sunt omnes virtutes: sed huic etiā rhythmus æquabilis contemperandus est, & modus nec remissus nimium aut intensus. Lydius etiam cum Dorio suum decorum tenet: verum quādam negotia tristitiam postulat, & illis myxo-

T lydius

## DE REPVB.

lydius flebilisque vox est accommodata. Phrygius autem tubis maximè gaudet, & nos ad iram potius accendit, atq; iccirco in prælijs vtilis esse solet. In contrarijs autem negotijs ijs tonis vtendum, qui nostros animos remittant ad voluptatem aut mœrorem: nam semper alterum cōtrariorum alterius affectionem sanat. Medius autē tonus, vt diximus, omniū maximè conuenit cū virtute: & tamen considerandum est in quibus hominibus, temporibus, negotijs, quibus affectibus maximè sit opus, vt semper auditores à vitijs ad virtutes, & res omnes bene gerēdas impellantur. Quanquam autem hæc, de quibus nunc agimus, ab hoc loco nō sunt aliena, nam de ijs tam Aristoteles quam Plato in suis Politicis diligentissimè præceperunt, nos tamen iam ad alia transeamus. Saltationes verò cum Musica vehementer sunt coniunctæ, quæ quoniam magis viuæ sunt, magis nos in vtramvis partem impellunt. Legimus Hebræos, etiam Reges, & sanctissimos quidem, in sacris pompis aliquando saltare solitos: sed quam grauem oportet illam fuisse saltationem, quam venerabilem, quam diuinis mysterijs accommodatam. Dubium esse non potest, quin honesti corporis motus nos plurimum incitare possint ad virtutem: nam si pictura mortua non mediocriter mouet, quanto magis nos afficient gestus viui? & ideo tam diligenter instituit eos diuinus ille Philosophus, qui choræis publicis præcessent, tanquam esset in ea re magna pars salutis Reip. collocata. Quemadmodum enim quis facillimè vel fides pulsat, vel penicillum dicit, vel aliud quiduis perficit, cui à pueritia statim assueuit, idem etiam accidit, si quis diligenter honestatem venustam in omnibus motibus didicerit obseruare: & iccirco saltationem primùm artem inuentam puto, quæ corpus in omnem partem agile promptumque redderet, cum obseruatione decori: quod quidem vt ab animo in corpus, ita vicissim à corpore per sensus in animos transire solet.

## LIBER TERTIVS.

re solet. Quapropter & hæc à magistratibus instituenda sedulò sunt, vt etiam ea quæ in scenis istis vel publicis vel priuatis aguntur. Quoniam enim tenaciter harent animis, quæ in theatris spectantur, & vehementer ad sui imitationem prouocant, inde, si vitiosa sint, facillime sumat magnam occasionem animorum corruptela. Longè verò præcisimè fleetuntur pueri, qui istis etiā rebus leuissimis vel maximè capiuntur: quod si verò illis proponātur exempla vitiorum, proculdubio malè formatam pueritiam continuò succedit iuuentus senectusque depravata, filijq; & nepotes non tantum suis maioribus similes, sed etiam assida degeneratione multò deteriores. Certè cùm præcipua spes sit publicæ felicitatis in liberali institutione puerorū, oportet vt theatra nullam occasionem vitiorum contineant, sed tantum præcepta virtutum. Inter ea verò quæ percipiuntur auribus, & ad res diuinæ conducunt, oportunæ conciones præcipuum locum tenent, in quibus, vt etiam in omni oratione, sed in istis præcipue, seruandū est, vt auditores ad omnem virtutem & ad ipsam maximè pietatem impellantur: quod quidē vt commode fiat, operæ pretium fuerit non ignorare quod scriptū est in Phædro Platonis, nimirum Oratoriam esse tanquam animorum nostrorum medicinam, & eius peritum tanquā bonum medicum, animū quidem præcipue, sed tamen & vniuersam naturā debere didicisse: ita fiet, vt cùm multiplex animorum quemadmodū & corporum discrimin sit, ijs omnibus ipse se decenter accommodare sciāt: nam nec medicum in omnibus hominibus, tametsi morbis ijsdem laborent, ijsdem vti medicamentis videmus, sed potius quæ conueniāt naturali cuiusq; compositioni. Animi verò alij natura vel acuti vel obtusi sunt, alij calidores, frigidiores alij, multi sunt molles, rari verò fortes, & alijs plurimis modis inter se sunt diuersi, quatenus scilicet diuersis corporis instrumenis sunt

## DE REPVB.

tis sunt adiuncti. Si verò tam auditores quam Oratores idem pariter sibi proponerent, frustra dicendi labor omnis susciperetur, vt etiam à medico curandi, si corpus per se sufficeret ad optimas operationes: sed quoniā nobis præsidij multis opus est, quæ quidē omnia rarissimi quidā haberet, ideo diuina beneficētia factum est, vt à magnis ingenij rationes rerum gerēdarum nobis suppeditaretur. Cūm autē ad negotia bene conficienda duobus, scilicet cognitione necnō voluntate sit opus, necessarium est, vt Oratores primum ostendāt esse verum id quod dicūt, ac deinde voluntatis aduersos motus impedian, prouehant autem quantū possunt secundos. Veritas rationibus comparatur, & ijs etiam voluntas impellitur, sed non mediocriter inferioribus quoq; motibus incitatur: illę mentis & sapientię sunt, hi autem inferioris cuiusdam naturæ: ita si quem iratum, tristem, aut aliter affectum sentimus, protinus cum eo commouemur, præsertim si id ipsum ratio postulare videatur. Oportet igitur vt sciat Orator, quid potissimum faciendum sit, vt erga id ipsum quam optimè sit affectus, & vt auditores sibi quam simillimos reddat. Sic enim idem quod ipse tum intelligent, tum velint. Sed alterius animū non nisi ex oratione & alijs externis signis intelligere licet. Hæc igitur veritati consentanea sint, & omnibus affectibus honestis, vt talem qualem esse deceat ad rem propositam Oratorem ostendāt, & similibus motibus etiam auditorem impellant. Verùm in tanta ingeniorum varietate nunq; homines possunt esse pares, & ita fit vt eiusdem orationis in diuersis animis diuersus sit effectus, vt etiam si quemadmodum deceat ipse Orator erga rem præsentem sit affectus, frigidiores vix ad mediocritatem orationis vi peruenient, calidiores autem & celeriores ultra modum suum efferentur, & quisq; fermè tenebit proprium aliquē ab alijs diuersum cognitionis & desiderij locum. Itaque cūm non

satis

## LIBER TERTIVS.

71

satis fit, quod Orator quam optimè cōstitutus sit ipse, nisi reliquos omnes, vel saltem plurimos, aut præcipuos, si fieri potest, sui q̄ simillimos, hoc est optimos reddat, oportet vt orationem singulis & omnibus auditoribus attemperare sciat, nam & medicos in diuersis & contrarijs morbis ita pharmaca miscere videmus, vt semper maius malum propellant, & ex bonis propositis optimum consequantur, si perfectam sanitatem adsequi non possunt. Ad eam autem rem magna sapientia magnaq; diligentia est opus, quam quidem in concionatoribus præcipue desideramus, vt & ipsi boni sint, & ingeniorum, morborum, & remediorum naturam bene sciāt, vt omnes affectus in omnibus incitent ad virtutem, mentes autem ad sapientiā, & ad rerum præcipue diuinorum cognitionem: ad cognitionem inquit, sed necessariam potius q̄ curiosam. Non enim doctos, sed potius rudes auditores habent, quibus nec necesse est, nec vtile, nec etiā possibile, vel omnia vel plurima scire, sed ea sufficient illis quæ requiruntur ad bene viuendum, hoc est ad comparandā felicitatem. Non igitur ea dici debent quæ pertinent ad inanem ostentationem, sed ad vulgi potius institutionē, nec tam ea quæ difficiles quæstiones excitant, quam quæ doceant ipsam pietatem. Non decet populum ijs argutijs intricari, à quibus ipsi se vix magistri extricare possunt. Omnia non apud omnes & vbique conueniunt: diuersae sunt à disputationibus conciones, & etiam interdum illę minus sunt vtiles quam periculoſe. Sed hęc latius prosequi non est huius loci: sat est nobis hic in vniuersum ostendisse concionum naturam. In reliquis autem omnibus etiam diligenter obseruari debet decorum, vt omnia q̄ pulcherrima sint, & moneant nos illius maximè pulchritudinis æternæ, quemadmodum est apud Platonem: nam cūm nemo tam stupidus sit, quin eximias omnes formas admiretur, admiratio, causarum inquisitionem adeoq; su-

T 3 perio-

## DE REPVB.

periorem continuò cognitionem in nobis parit, sic vt ab operibus ad opifices, & tandem ad summum aliquem artificem perueniamus. Sed considerandum hīc & alibi semper est quid & quām cōmodē fieri possit: nō enim quāuis Repub. prāstantissimos artifices habere, vel excellentissima quāuis opera comparare queant, quōd alia magis necessaria sint, nec ad omnia sufficient ciuitatis opes. Perpendendum itaq; quid in templis, & quā templā necessaria sint, & nisi quid obstet, vt omnia veris ornamētis pios animos delectent, & incitent ad virtutem est efficiendum. Id autē etiam in totis vrbibus est obseruandū, vt scilicet quām pulcherrimā sint, nec tamen interim splendor ad fastū aut aliud vitium prouocet, & necessaria reliquis prāferantur, sed, vt etiā in vniuersa natura rerū, omnis venustas suis vībus destinata sit, & facile cedat oblatā necessitatī. Quicquid verō eiusmodi externā vtilitatē aliquā afferre potest, vel proficiscitur ab ipsa Rep. vel aliunde ad eam accedit: per Remp. agros, aquas, & reliqua quā in ea proueniunt intelligo, & etiam prācipue ipsos ciues. Cūm igitur diuersæ prouinciae diuersos homines, ingenia diuersa producāt & alant, fit, vt eas ad res potissimum institui debeant ciues, ad quas natura maximē sunt accommodati, vt tamen prēclarissimas quasq; quatenus fieri potest, reliquis anteferamus, quemadmodum etiam antea dicebam. Quidam potiū ad militiam nascuntur, alij potiū ad domesticas artes, & hīc magis ad ingenij, alibi magis ad corporis exercitationē. Natura quoq; soli fermē cum hominib; conuenire solet, vt in maritimis locis nautica negotia vigeant, in alijs agricultura, in alijs artes quas mechanicas vocāt: quibus videmus quasdam prouincias, natura non admodum fertiles, tamē diuitijs abundare. Sic igitur ciues à magistratibus & legibus instituendi sunt, vt ad id quod optimum est Reipu. q; aptissimi reddantur, sic etiam agri littoraq; parari, vt homi-  
nibus

## LIBER TERTIVS.

72

nibus commodissimè seruant: illi vt quām maximam prebeant materiam rerum gerendarum, haec vt tuta sint & habeant quām accommodatisimos portus. Agri itaque seri debent primū necessarijs ad vitam, deinde alijs quā plurimū vtilitatis Reip. ferant, prouinciae quoque tam mari quām terra penitus latrocinijs expurgari. Magistratus igitur nullos externos nebulones, qui tantū vagari & grāfari per itinera sciunt, admittent, ciues autem malos maxima quoque seueritate coērcebunt, nullos aleatores, nullos scortatores, nullos ebriosos homines in Rep. sua viuere patientur: quoniam hæc vitia facilē patrimonium cum pudore decoquunt, & homines pauperes & corruptos in omnē facinus impellunt. Instrumenta quoque lādendi admenda sunt illis, quos ē suis coniecturis non optimos suscipi cari licet. Certè prācipuum & vnicum remedium latrociniorū est in diligentia Magistratum collocatū: qui si negligētiū q; oporteat hoc officio suo fungātur, ipsipotius q; latrones Remp. lādent, & tanq; licentia ijs prābēt, miseros homines diuexandi. Nec est quōd locorum vastitates aut alias occasiones vllas causari quis possit: nā videmus in quibusdam prouincijs, quē natura maximē quibusuis infidijs opportunē sunt, nullum tamen latronē grāfari. Tantum potest diligentia, si fuerit cum prudentia cōiuncta. Verūm non solum tutę viæ publicę, sed etiam quām facilimē sunt reddendæ: quod fiet si quām optimē sternantur, & quām paucissimos habeant circumductus. Quantò verō plures flexus sunt, tanto maiore agrorum partem auferūt, & vēeturam cariorem reddunt. Ergo prouinciae tutissimæ rebusq; gerendis accōmodatisimæ fiant, & ciues nō tantū ad virtutem, sed etiam ad reliquam omnem vtilitatem Rei-pub. diligentissimi paratisimq; reddantur, vt quoniā sola natura non sufficit, ciuium omnium industria Resp. non tantū internis, sed etiam externis bonis abundet. Non autem.

## DE REPVB.

autem vlo modo videntur homines illi laudandi, qui suo censu citra publicam vtilitatem tantum sibi viuunt, nec aliquod commodum in commune conferunt. Non enim nos nostris tantum, sed & Resp. nostris & nobis frui debet: nobis inquam, nō otiosis, sed diligentia summam adhibentibus ad felicitatem communem. Non colonus tibi tantum, sed alijs etiam seruit, nec tibi ipse solus, sed & vniuersa rerum natura, non quidem vt tu nihil agas, sed vt etiam aliquid in publicam vtilitatē conferas. Cūm enim à summo bono facta sint omnia, quod ad sui participatum se libenter effundit, nunquam quies est laudabilis, nisi quatenus nos paratores reddit ad operationes. Ita vide ius partes corporis humani, reliquarumq; rerum singulas & omnes pariter, & singulis & omnibus vsum suum p̄bere, quanquam aliæ sint alijs potiores. Nō ideo potentiores & ditione vt otiosus sis, sed vt p̄stantiora negotia exerceas. Omnes igitur in vsum publicum aliquid cōferamus, & pro ingenij & locis instituamur primū ad virtutem, deinde ad reliquias vtilitates ciuitatum. Verūm nō tantum prouidendum, vt intus omnia p̄clarā sint, sed etiam vt aliunde nihil mali ad Remp. accedat. Itaq; si quid aduehatur, quod damnosum sit aut non necessarium ciuitati, ne locum necessariorum occupet, vel magnis vestigalibus impediatur, aut prorsus interdicatur, siue morbos aliquos animorum afferat, vt luxum, vt inanem ostentationem, siue corpus deterius, siue pauperiorem ciuitatem reddat. Consideret igitur bonus Princeps, in ædibus & vestibus, in cibo & potu, quid necessarium, quid vtile, quid superfluum, quid pernitiosum, & liberum faciat, imò etiam interdum præmijs alliciat, quod populo vel necessarium est, vel non exiguum aliquam afferat vtilitatem, inutilia vero vel supplicij propositis interdicat, vel magnis saltēm vestigalibus grauet. Ita cūm nunquam, p̄fertim his temporibus tam

corruptis,

## LIBER TERTIVS.

73  
corruptis, defuturi sint homines diuites & prodigales, qui quois sumptu parentea quæ pertinent ad luxum, fiet vt principum bona non diminuantur, & viri boni atq; frugales, sepe non admodum diuites, multò vilius degant. Pr̄stat itaque vt Respub. possideat ad vitam necessaria & diuitias, quām res externo tantum artificio elaboratas, quæ in magnos & necessarios v̄sus fermè permutari nō possunt, & cum magna pecuniarum iactura facilè deteruntur. Inter has autem minimū admittenda sunt, quæ breuissimo tempore pereunt, & maximo pretio constant. Sed considerandū, ne dum nos interdictis nostris alias ciuitates grauamus, illæ nos vicissim magis grauent suis, quod à plerisq; minimè video perp̄di: nam multi tam iniqui sunt, vt alias prouincias ledere nequaquam vereantur, multi etiam tam stupidi, vt iniurias sibi illatas non compensent. Diligenter animaduertere debet magistratus, quid vtilitatis Resp. percipiat, ex ijs quæ euhuntur, quid etiam ex ijs quæ inueniuntur, vt ex vtrisque, si fieri potest, maius percipiat lucrū quām damnum, curare debent etiam, vt omnia quām optimâ fiant in sua Rep. vt & ciuibus maximè seruāt, & ab exteris vehementissimè expetātur. Ita fiet vt ciuitas suis praefidijs valeat, & etiā externis subsidijis iuuetur. Quamobrē necessarium est vt principes & suas Resp. & etiam alienas optimè noscant, & semper, vt iam særissimè diximus, primas partes virtuti tribuant. Exteros ergo, quanquam aliqui magnum emolumentum sint allaturi, si tamen vitijs sint contaminaturi ciuitatem, nullo pacto admittent. Sed nos nunc inuertimus ordinem ipsum naturæ, primas partes fortunę damus, secundas corpori, tertias, vel potius nullas virtuti. Verūm etiam haec externa quoque suam quādam non contemnendam dignitatem habent; omnia si quidem, etiam haec corporata, quodam ordine dona Dei sunt, inter quæ principatum obtinent, primū quæ ad ani-

V mum

mum conducunt, ut quæ vel oculis vel auribus percipiuntur, deinde quæ ad corporis valetudinem, ut quæ ad gusti tangendiq; sensum pertinent. Quis autem tam stupidus esse potest, qui cùm pulcherrimam istam cæli fabricā, cùm tam concinnam harum rerum omnium varietatē certnit, cùm audit tam multiplicem canendi loquendiq; concentum, rebus ipsis consonum, veritatis & virtutis amore non rapiatur? Hæc igitur nobilitate priora sunt, reliqua verò magis corporata necessitate: nā sine corpore mens officio suo fungi non potest: corpus autem confessim consumi necesse est, ni continenter alimonia reficiatur. Quapropter hic primò comparanda sunt, quibus viuamus, deinde quibus sanitatem tueamur, aut comparemus: cætera voluptatis instrumenta, vel rei cienda sunt, vel ad animi tantum recreationem admittenda. Nihil quidem à sapientissimo Deo factum est frustra, sed purpura, colores, linguae condimenta, aliaq; innumera, quæ sensus nostros demulcent, quanquam superuacanea fortassis videri possint, tamen aliquem, imò magnum usum proculdubio præbent. Quod si singula distribueremus quemadmodum deceret, nihil desiderari posset in tota rerum omnium natura, vel potius quomodocunq; distribuamus, tamen, ut iam sæpe diximus, omnia prouidentiae diuinæ & vniuersitatis utilitati seruiunt, tametsi, quoniam ijs abutimur, in nostris rebus vel priuatis vel publicis quam plurima desiderentur. Alij quidem plus deuorāt, alijs parcius viuere coguntur q; oportebat: plurimi vestiuntur delicatius, alijs, quanquam rarissimi, magis rusticè quam decebat: & hinc, quoniam à nobis hominum & rerum dignitas minimè seruat, tot morbis, tot vitijs atq; monstris sunt omnia plena. In his autem rebus externis multis modis peccare solemus: primùm quod non curemus satis diligenter, ut quam optima sint, & ijs optimè vtamur, quæcumque sunt in ciuitate: deinde,

quod

quod non prouideamus vt vilissimo pretio comparentur. Ita fit, ut tametsi non desint ea quibus egregiè vitæ sustentemus, luxus & auaritia nos ijs vt decet frui non sinat: ad mediocritatem enim vitæ pro cuiusque conditione cuiq; satisfacere possent, si non ea partim incontinentia quorundam inutiliter absumeret, partim vendentium dolus deteriora redderet & cariora, q; vt ab omnibus emi possint, dū illi tam licenter omnes emptores defraudant, & turpisima monopolia, consentientibus scilicet, vel saltem tacentibus legibus, vel legum potius ministris, exercent. Oportebat autem rebus, saltem necessarijs, optimos & peritisimos æstimatores præesse, qui curarent vt singula q; optima iustissimoq; pretio veiderentur, & etiam vt nullus esset defectus necessariorum aut inutilium excessus, in quo quidem utroque passim vehementissime peccatur, & in hoc etiam quam in illo frequentius, & magis pericolosè. Quanquam autem in ciuitatibus nihil abundare posse videatur eorum quibus viuimus, non frumentum, non vinum, non obso- nium, tamen horum abundantia luxum, maximam pestem Rerum pub. parit. De frumento magis debent esse sollicitæ bene institutæ ciuitates, & omnem quamprimum tollere luxus occasionem: nunquam enim legimus hoc vitio laborantem Remp. diu incolumen mansisse: testis est Babylon, Athenæ, Roma, in quibus dignitas tantum diminuit cœpit, quantum luxus augeri. Nihil ciuitus quam iste corrum pit corpus, & hoc animum ipsum confessim inquinat. Cùm itaque legamus in antiquis bene formatis ciuitatibus præscriptos fuisse per cœlus cuiusq; mensæ familiæq; sumptus, nō video cur id facere nō liceat, imò verò deceat apud Christianos: sic enim fieret, ut diuitum parsimonia pauperes aleret, & angustiæ familiarum multos, qui tantum seruiunt ostentationi, vel potius consumendis frugibus, excluderet ad utilem aliquam operam ciuitatis. Nunc maxi-

V 2 ma pars

## DE REPVB.

ma pars famulorum inutili tantum pondere familiam, imo Remp. premit. Quid, quod hoc exemplū plures ad otium prouocat, idq; ciues eneruat, & Remp. exhaustit. Sed nec in alio quoque negotio quod per pauciores fieri poterat, plures vñquam fuerant admittēdi: nam maioribus opus est ad illos omnes alendos expensis. Id enim semper carius emi necesse est, in quo plures versantur, cùm omnes ad vitam necessaria lucrari cogantur. Ergo tabernę paucissimæ sint, & rebus magis necessarijs tantum instructæ. Nunc autem cum magno magistratum dedecore videmus ijs potiū es se refertas ciuitates, quæ non tantum necessaria non sunt, sed quæ prouocant ad luxum, ad ebrietatem, & ad aliam omnem Reip. corruptelam: vnde quām multa mala prouenant, satis nos omnes cum magno nostro malo sentimus. Itaque videmus in regionibus, in quibus homines ad commissationes propensi sunt, magnam vrbium partem ebriosorum diuersorijs impleri: vbi non tantum inutiles capponum greges aluntur cum vniuersis familijs, sed per ingluuiem fermè tantum absumitur, quantum vniuersæ ciuitati sit satis. Quid quod non tantum luxus perditorum hominū fouetur, dum vitiorū occasiones omnes exhibentur, sed per vniuersas etiam vrbes effunditur, dū boni ciues ab alijs continuò corrumpuntur. Ita sèpius vna licetia mul torū vitiorū procreatrix est, & totas Resp. infelices reddit. Omnes autem ansæ malorum vndique diligentissimè tollendæ sunt, præcipue tamen illæ, quæ frequentissimè facil limeq; arripi solent. Aliæ regiones ad libidinem proclives sunt, & illic quæcunq; prouocant ad lasciviam sunt potissimum interdicenda, nōnullæ pronæ sunt potiū ad ostentationem, quibus inanis gloriae materia prorsus fuerit ause renda. Multi homines crapulam maximè sectantur, & illi vehementissimè constringendi sunt ad frugalitatem, contrarijsq; semper exercitationibus diligentiq; cultura pul-

lulascen-

## LIBER TERTIVS.

75

Iulascentibus vitijs est occurrentum, quæ sine magno detrimento honestegetis nunquam adolescunt, & adulta nō perinde facilè posseunt euelli. Tellus hominibus alendis, non explendis voluptatibus seruit, & quod impeditur in ebrietate, aliorum necessitati detrahitur. Cùm autē ijdem agri non possint multis vñibus inferuire, nimis potus necessarij frugum penuriam secum affert: nec tantum in cibo potuq; modus est seruandus, sed nec semper, nec omnibus omnia ciborum genera sunt permittenda. Non enim decet pauperem aliquem ditissimi cuiusq; sumptu viuere, nec etiam ditissimum aliquem ingentibus pecunijs elonginquis regionibus immedicabilis suæ gulæ remedium accersire: sed potiū, vt ijs quisq; vescatur, quæ regio copiosissimè producit, & inter ea quæ meliora sunt salubrioraq; re liquis anteponat: ita tamen vt si hæc nō sufficiant, alia non omittantur, quæ vitam conseruare possunt. Itaque dies pascuenti præter alias vtilitates hanc non paruam afferunt, quod homines etiam è mari vixum querere cogant, quod nisi fieret, in tanto præsertim luxu, terra nobis sufficere nullo modo posset: nam quod alioqui vix aliquis futurus sit, quin carnes piscibus, præsertim non admodum delicatis præferat, dubium non est, vt nec istud, quod pescatores ob exiguum & incertum lucrum se maris periculis committere nolint. Oportet autē vt quām cōmodissimè minimoq; pretio tota ciuitas viuat: oportet, vt ciues in supellectilibus etiam atque vestibus reliquisque rebus omnibus suā teneant mediocritatem: nulla nanq; Resp. nisi frugalis fuerit vñquam beata. Frugi hominibus paucis ferculis opus est, & paucis vasculis, nec admodum pretiosè elaboratis: nunc verò non satis est ædes extruere tam amplias, quarum maior pars nulli seruiat, nisi etiam marmoræ sint, & artificio longo variegatae, nisi omnia fermè laquearia sint laboriosissimè deaurata: non satis est argentea plurima vas-

V 3

possi-

## DE REPVB.

possidere & aurea, ni argentarij multi sculpendo locupletantur: non sat est habere vestes innumerarē atque molissimas, nisi plurimis futuris iterum exasperentur. Quid ego nūc mundos muliebres recensem, quibus magna ex parte Reip. pecunia cōtinetur. Necesse est ab vltimo terrarū orbe querere gemmas, quibus scilicet preciosarū istarū sc̄eminarū inexplicabilem inanis ostentationis libidinem expleamus. At ineptissimi sumus, qui nō videmus hoc parato nimis onerari premiq; Resp. aut si videmus & negligimus, scelerati atq; nefarij. Hinc opus est tot architectis, sculptoribus, pictoribus, argētarijs, fātoribus, alijsq; id genus hominibus, nec his tantū, sed alijs innumeris, qui istis etiā seruāt. Ad vestitum opus est fātura multiplici, mercatura, textura, tintura, lanificio, pecuaria, pastura, & harū artium quæq; tot alias habet coniunctas, vt mirum sit aliquid esse tam fertilem Remp. quæ superfluam hanc multitudinem alere posset: præfertim cūm etiam ipsi artifices in eodem fermè luxu versentur. Non autem nimius tantū sumptus prohibendus est, sed etiam vestes suam decentem formam habere debent: decentem appello formam, non eam quæ moribus hominum est accommodata, sed quæ veram decoris speciem refert. Nam in natura rerū semper aliquid est, quod quamq; rem personam, tempus locumq; maximè decet: quod hīc etiā diligēter est obseruandū, nec in vestibus vlla leuitatis aut fōrdium indicia sunt admittenda, quæ nusquam fermè manifestiora in ijs hīc esse solent, siquidē internus habitus sēpē cum externo quadrat. Constituendus igitur vestiēdi modus erat, regioni, tēpori, personis accommodatus, nec vel hīc vel alibi quicquam immoderatum fuerat tolerandū: non fuerat permitteda tanta leuitas, præfertim in ijs hominibus qui graues titulos gerūt, quantam boni viri sine magno pudore videre non possunt. Recte profecto Lycurgus, qui vnam annuam vestem,

nec

## LIBER TERTIVS.

76

nec eam quidem tam sumptuosam q̄ honestam suis prescripsit recte veteres illi summi duces, Themistocles, Aristides, Curius, Manlius, quorum in ædibus, cum sua paupertate Rempub. ditare vellent, nihil erat non omnino frugale. Publicum tamen splendorem, si diuitiæ sufficient, non modò non reprehendendum, sed etiam laudandum essem puto: nam, vt antea diximus, omnis pulchritudo nos in admirationem rerū diuinarū ducit, & communia singula, ciuibus omnibus seruunt: priuata necessarium est vt multa sint, quæ profecto difficillimè comparentur, vt interim omittam, quod potius ad fastum incitent, quam ad virtutē. Sed tamen vnumquenq; moderatis pro magnitudine diuitiarum vti licebit: nam ijs etiā Platōne ipsum, cōtinentissimū sanè virū, legimus sūisse delectatum: immoderata verò semper multorū malorū causas præbent. Resp. tam diligenter à magistratibus fuerit exoneranda, vt in ea, quatenus temporū rerūq; natura patitur, nihil omnino superfluum relinquatur: nec id tantū, sed etiam curandum, vt non deficiat aliquid, quod necessarium videatur ad vitam. Quapropter & reliquis omnibus & maximè prospiciendum est annoæ tempore vilitatis, & apparatu bellico tempore pacis: nullum enim malum grauius est, quam inopinatum: sic videmus innumerarē ciuitates, improuiso vel bello vel fame facillimè oppressas. Quamobrē omnia quæ ciuitatem alunt opportunè sunt cōuehenda, quæ verò eam corrumpere possunt, confessim sunt expellēda. Dicent, nec ciues expelli, nec necessarijs operis omnes præfici posse: & ideo ciuitates, quæ olim pulcherrimè fuerant instituta, cūm se frequentia ciuium grauari sentirent (vt solet interdum esse maior prouentus hominum quam frugum, vt & alibi maior abundantia frugum quam hominum) eos qui minus utiles essent, propositis præmijs in optimas quafq; colonias sic transferebant, vt interim &

ijsdem

## DE REPVB.

ijsdem legibus vterentur, & vnius quodammodo cum prima Republica sua corporis essent: deinde cum nulla fuerit vñquam tam beata ciuitas, quin aliarum ciuitatum atq; regionum subfdium requirat, etiam operæ necessariæ vocari possunt illæ, quæ cum externis necessarijs permuntantur, quæ sanè vt multæ sunt, ita multos ciues in officio suo facile continebunt. Insper studia literarum, militiæ & agriculturæ latissimè patent, quæ quidem in Rep. planè necessaria sunt, & à multis hominibus suscipi volūt. Certè oportet, vt in optimè constituta ciuitate omnes quam plurimū conferant in summam totius Reip. felicitatē, vt in ea quatenus fieri potest, nihil superfluum sit, nec etiam aliquid defideretur, & vt omnia præcipue quidem virtutem ipsam, deinde propter hanc corporis etiam & externam, utilitatem spectent, & priuata semper referantur ad vsum communem. Quoniam verò non est satis quod intus Resp. sibi sufficiat, nisi quoq; sit ad externas iniurias arcendas parata, & habeat ea quibus hostibus egregiè resistere possit, hic præcipua spes in bonis militibus est, quemadmodum latius disputatur apud Platonem: quia tamen improvisi quidam insultus sepe fieri solent, aduersus eos quoq; conuenit esse munitam vel arte vel natura ciuitatem. Munitæ sunt, quæ incenib; egregiè septæ sunt, quæ in editis & præruptis locis sitæ, modò circum ampla sit planities, sic vt à vicinis colibus lœdi non possint. Munitæ sunt etiam in plano, præsertim humido: nō enim facile machinis aut cuniculis tentantur. Non tamen satis est, quod ab hostibus non lœdantur ciues, sed oportet vt ipsi lœdant etiam hostes suos, si possunt: quod vt fiat instrumentis, non tantum defensionis, sed etiam oppugnationis est opus, equis, armis, tormentis, quibus omnibus quam optimis & plurimis oportet esse Remp. instructa: nam inermes ab armatis opprimi facilimè possunt. Cùm autem multis rebus ad bellum opus sit, ne-

cēsc

## LIBER TERTIVS.

77

cessarium est omnium rerum abundantissimā esse Remp. quæ longo tempore magnum exercitū sustinebit. Orandi nanq; nutriendi q; milites sunt, nec hi tantum, sed etiā omnes qui istis seruiunt, qui arma, qui uestes, conficiunt, qui comedunt & alia necessaria ferunt: quorum numerus militibus est multò maior. At omnes qui circa bellum occupati sunt, alijs rebus alioqui Reip. seruirēt, vel agros colerent, vel aliquid aliud facerent, quod si necessarium ciuitati non esset, ab exteris emptum eam locupletaret. Insper tempore belli multa nos ab alijs emere cogimur, quibus Reipub. pecunia distrahitur. Oportet ergo ciues esse tempore belli & etiam pacis tantò diligentiores, vt pro se, pro militibus eorumq; ministris omnibus laborēt, aut esse tam beatam Remp. vt externas merces & pecunias non requirat, sed habeat non tantum necessaria ad pacem, verū etiam superflua, quæ militibus sufficient ad bellum, vt & ciues viuant, & ex ijs quæ supersunt, exercitus sustentetur: quod quidem nunquam fermè contingit. Quantò nanq; regiones fertiliores sunt, tanto magis & à corruptioribus hominibus ferè sunt habitatae. Quare tēpore pacis aliquid reponamus in belli necessitatē, nisi tempore belli Remp. statim penuria grauari velimus. Reponūtur autem & conservantur facilimè pecuniae, quibus tanquam accommodatissimis instrumentis etiam reliqua cuncta comparantur: & ideo rectè Demosthenes eas Reip. neruos appellauit. Ergo inter alia quæ nobis seruiunt, nummorum usus latissimè patet, qui iam alterius causa tantum expctuntur. Nam quatenus eorum tactu vel aspectu delectatur, ijs vtī quis rectè non dicetur. Nummorum cūdendorum hæc potissima ratio fuit. Cùm in hac vniuersitate rerum nihil absolutum vñquam esse possit, sed necessarium sit vt singula mutuis quibusdam operis in vnum conspirent, hinc negotiaciones, mercimonia, peregrinationes in varias &

Nummū

X lon-

## DE REPVB.

longinquas regiones suam originem habuerunt. Si Remp. aliquam h̄ic haberemus, in qua tales ciues essent, qui virtute, sapientia, fortitudineq; quam optimè rerum suarū statutum ab externis & internis iniurijs perpetuō propulsarēt, & esset ea cāli soliq; contēperatione, quæ nō tantum ad vitam necessaria, sed etiam ad honestam voluptatem à bonis viris expetenda produceret, non esset quod in ea numerosos aliquos desideraremus: verū cūm natura comparatū sit, vt nihil h̄ic sumimē possit esse beatum, & etiam optima quæq; grauiissimis tempōrum calamitatibus concuti soleant, s̄pē multis externis pr̄sidijs habemus opus. Nec etiā tantum nostris & externis bonis vti, sed tam h̄ec quam illa quoque debemus interdum admirari, etiam si alioqui nulli necessitatib⁹ seruant. Sanè non video quomodo sine multis exterorū cōmēcijs Resp. felicior esse posſit, tamē si non negem verum id esse quod Platōnē considerasse constat, ciues etiam optimos, inter exterorū corruptos sōlitos esse contaminari. Sed ideo leges in Rep. sunt, vt per eas vitijs omnib⁹ resistatur, deinde ciues bene constituta felicisq; Reip. boni prudentesq; sunt, qui etiam ipsi s̄ aliorum vitijs exerceantur ad virtutem: idq; est quod scriptum est etiam apud Platōnem, in pessimis ciuitatibus raros quidem esse bonos, sed eos admodum esse pr̄states. Quod si tamen ab externis commercijs plus damni quam emolumenti redūdet in Remp. nam aliæ sunt alij ad vitia & ad h̄ec vel illa magis propensæ, fuerint etiam, vt ante diximus, interdicenda: sed mutuū saltē cōfortijs inter se ciues carere nequeunt, ad quæ nobis est opus communi quadam estimationis rerum omnium mēsura. Quanquam enim antiquitū permutationem rerum in vsu fuisse videmus, singula tamen singulis recte conferri nequeunt, & venditores ijs rebus quas emptores offerre possent, s̄pē non habent opus: itaque communi hominum omnium consensu vsus nummi

receptus

## LIBER TERTIVS.

78

receptus est, quo rerum omnium estimationē metiremūr, & quiduis nobis facile compararemus. Oportebat itaq; nō tantum vt is rerum estimationem discerneret, sed etiam vt cum rebus comparatus suam estimationē haberet. Quod si paratu facilis esset, eoq; omnes abundarent, vel pro re vili nemo labore susciperet, vel oporteret vt eius magnitudine pretium augeretur: ita necessarium esset, cūm s̄pē longē petenda sint, quæ requiruntur ad vitam, nos vel necessariorū penuria, vel nummorū mole grauari. Quamobrē prouidē factum est, vt ijs metallis, quæ rariora sunt, & facillimē diutissimēq; conseruantur, potiūs vtercmur. Nul lum autem est quod vetustati, flammæ & reliquis iniurijs magis resistit, quam aurum, nullum quod in omnem formam sine detimento sui facilius permutatur, & ideo, quoniam etiam rarum est & aspectu iucundum, pretiosum ad modum habetur. Quapropter hoc meritō primum, argen tum vērō secundum, & reliqua metalla deinceps suum locum tenent. Sed tam Platō quam Aristoteles, nō tantum reliquę Philosophię, sed etiam Principes huius discipline, cūm & multas prīcas Resp. & præclarissimas Græcię ciuitates ex opulentia nimia miserè viderent euersas, & naturam possessionem, quæ necessaria ad vitam profert, finitam esse, pecuniarum autem ad permutationem usum infinitū, dum nummus nummū semper ad inexplebilē cupiditatē parit, moderatas vterq; diuitias, ille etiam communes esse debere iudicauit; hoc autem postremum nec necessarium, nec fortassis vtile, quanquam ille suas rationes & modos habet, vel saltē in hoc rerum statu perq; esset difficile. Illud autem, quis modus in pecunijs seruandus est, consideremus. Aiunt illi qui mediocritatem pecuniarum tātopere laudant, quod etiam ratio comprobat & experimēta quotidiana per nimias diuitias, otium, vitia, reliquasque multas pestes in Remp. introduci: pecunias ingens s̄pē malum,

X 2

suis

## DE REPVB.

suis præsertim dominiis & patronis afferre solitas, qui cum scilicet in ijs summam felicitatem ponunt, in vita vel perpetuis curis, vel libidinum furijs miserè vexantur: ita quod tanquam instrumentum beatitudinis tantopere cupiunt, ut maximum tormentum sentiunt, eodemq; de se supplicium sumunt, quo supplicium summū perpetuumq; comiserentur: at contrā mediocritas, inquiunt, est causa maximorum bonorum, animum curis, quæ nos deflectant à virtute, liberat, luxum corpus effeminantem & enervantem frangit, adeoq; nos ad res omnes cùm diuinis tum humanas recte gerendas accōmodatisimos reddit. Nimirū autē diuitiarū incommoda, vel eo quoq; grauiora dicūt, quod in viros potentes potius incident: nam in alijs, quibus non perinde ntititur Resp. cùm nō habeant & quæ promptas augmentādi censūs occasiōes, & facilius ferri, & facilius etiā auferri posse. In hominib⁹ autem opulentis vel continua spem augendarum diuitiarū & intolerabilem auaritiam, vel luxum, libidinem, superbiam, aliaq; multa scelerū monstra facile procreare. Præscindas, inquiunt, spem magnarū diuitiarum, præscideris plurimorū vitoriū radicem. Hæc & alia multa dicunt, qui diuitijs vehementer, nec omnino sine ratione sunt infensi: quibus tamen breuiter respōderi potest. Nimirū quidem nullum vñquam laudari debere, sed sapientem nullas nimias diuitias, vt nec aliud quicquā immoderatū habere: tametsi malis hominibus præbere loeat̄ ansas peccandi, bonis vñis tamē eas esse potius instrumenta virtutum, qui non tam acceruandi vel abutendili- bidine, quām impatiendi vñuandiq; desiderio diuitias affectant: malas quidem esse malis hominibus, non autem vi- ris bonis, qui semper ad virtutem ijs vti sciunt & volunt. Videmus enim non ditissimos & potentissimos, quosque pessimos semper esse, sed eos potius, qui diuitijs vti non sciunt. Non igitur illæ, sed homines ipsi causa sunt horum omnium

## LIBER TERTIUS..

79

omnium malorum. Vitiorum autem occasiōes, quæ sunt in diuitijs, si viri potentiores etiam prudētes sint, facile poterū vitari. Nam ab ijs pauperes mercedem accipient labris, aut calamitatis quam paupertas secum affert, non nimirū qua corrumpantur, sed qua moderate viviant, & sic in officio suo facile continebuntur ciues, etiamsi Resp. pecunijs abundet, siquidem ij ditissimi sint, qui vt priorem aliquē locum in Rep. tenent, ita prudentia reliquos antecedunt. Nec id est admodum difficile factu: nam improborum hominum diuitiæ facile effluunt, quæ à sapientioribus conti- nuo in priuatōs & publicos usus colligentur. Si qui verò diuities auari sint, cogi possunt authoritate publica, vt in utilitatem communem pecunias suas exponant. Non tantum autem vt optimi quiq; plurima possideant, sed etiam quo cuncta in suo statu maximè conferuentur, & filij parentibus etiā fortuna similes sint, efficiendum ne diuitiæ maiorum diligentia partæ successoribus facile dissipentur, quod quidē à magnis authoribus animaduersum est, & in nonnullis etiam ciuitatibus, vt Locris, antiquitus obseruatum, quemadmodum Aristoteles scribit. Sic non tantum Reip. status diu manebit in columnis, sed etiam continentio melior fieri, & non solum nullum damnum afferent ciuitati etiam multæ diuitiæ, sed tempore pacis insignes felicitatis occasiōes, tempore belli magna præsidia imperij vel defendendi vel propagandi. Quod si pauca pecuniae sint, & tamen multis sit opus, quod quidem non raro, præsertim tempore belli, contingere solet, huic quidem maximo malo remedium aliquod, quatenus fieri potest, est inueniendum. Videmus autem & antiquis & nostris temporibus, aureorum & argenteorū loco, vilioris cuiusdā mate tria numismata percussa, quibus inter ciues mutua negotia transigerentur: sed quoniam apud exterōs homines sūz tan- tū naturalis estimationis esse possunt, omnino curan-

## DE REPVB.

dum est, vt necessitate soluta, pro ijs tota Resp. iusti pretij nummos rependat, ne cuiquā ne cui quidem iniuria fiat. Sic igitur quād ditissima facienda ciuitas est, & contra paupertatem quaevis auxilia sunt conquirenda. Potius tamen diuitiæ publicæ quād priuatae laudandæ sunt, quoniā magis seruiunt necessitati communi, qua priuata quoq; continetur, & nullam fermè vitiorum occasionem præbere solent. In ærarium itaque publicum diuitiæ quād plurimæ colligantur, & quæ collectæ sunt, minime dissipentur. Minime vero dissipabuntur, si quād paucissimi optimi q; sint eius ministri, quiq; potius viuere suis quād Reip. expensis velint. Certe præclarissimè fecerint illi qui reliquis sunt ditiores, si Reip. seruat gratis: nec id illis difficile fuerit, qui habent vnde domi splendide viuant, si foris honestissimis Reip. muneribus occupentur, quæ debent à viris bonis vel otio vel cuiuis negotio longè preferri. Tales igitur sint in optimè constituta Rep. ditissimi quiq; ciues, qui publicam hanc utilitatem semper anteponant priuatæ. Si vero plures sint qui publicorum curam gerunt, & ex communibus bonis in maiore luxu viuāt, quād vt eos ciuitas possit sustentare, quid inde sequatur cuiuis satis est manifestum. Ergo ministri publici q; optimi sint, minimumq; publicis expensis viuant: insuper in publicum ærarium plurimum etiam conferant omnes ciues, quod fiet, si tributis & vectigalibus artificiose positis, ex ijs quæ vitiorum occasionses præbere solent nec vitari possunt, ex superfluo cibo, potu, vestibus, & alijs eiusmodi rebus non necessarijs, plurimum Respib. locupletetur, & singuli ciues, præsertim optimi quique sapientissimi que iustis diuitijs abundant, & iustum earum partem in usum communem expendant, atq; etiam, si commodè fieri potest, publicè pecunie potius in aliquos vius exponantur, quād vt ærugine corruptantur. Hæc quantumuis sedulò curemus, nunq; in his tantis no-

stro-

## LIBER TERTIVS.

80

strorum temporum calamitatibus Resp. nostra nimis diues reddetur: si vero negligamus ad summam rerum omnium inopiam redigetur. Prudenter etiam diligenter est, vt ad nostram Remp. quād plurimi afferantur, & quād paucissimi nummi exportentur. Id fiet vt diximus, si plura & optimas merces habeamus, quas exteris libetere cum pecunia commutet, & etiam externa nos minimum requiramus. Tam merces vero q; pecunias nostras cū externis diligenter conferre decet, vt conseruent iustam suam analogiam: quod enim hic quād alibi multò vilius est, non solet afferre magnum lucrum, quod vero multò carius, ab externis hominibus non emetur. Si quæ tamen sint, quæ nostra sola Respub. producit, modò necessaria sint, quoniam aliunde comparari non possunt, magno vendi debent. Sed oportet vt suum pretium habeant etiam nummi, præsertim illi qui facilis auferuntur. Aereorum autem onus & est difficile, nec in externis regionibus adeò desideratum, & ideo solet inferioris generis metallum cum nobis liore misceri, non solùm vt tractatione minus minoreq; cū damno consumatur, sed etiam vt in alienas regiones minus deferatur, quod non sine iactura separetur, & in aliam monetam vertatur. Cum vero mensura semper vel par vel minor sit eo quod mensuratur, argenteis nummis aureos, æreis autem argenteos, & minimis æreis reliquos omnes aestimamus: at si aurum ad argentum, & vel illius vel huius ad æs comparatum, maior sit analogia in una ciuitate quād in alia, tantò carius æreorum comparatione, pretiosioribus illis nummis merces ementur & vendentur: siue vero magna siue parua sit pretiosorum nummorum cum reliquis analogia, modò venditiones ijsdem fiant, aestimationis rerum eadem ratio manebit, sed ex argenteis magnum discrimen proueniet, vbi plures vel pauciores in diversis urbibus æreis singulis continentur, vt si in una regione duodenis ar-

gen-

### DE REPVB. LIB. III.

genteis aureis permutteretur, in alia vero regione denis, & illic argenteis quis emat, hic autem aureis vendat. Vbi maior igitur est diuersi generis nummorum analogia, maius ex eorum permutationibus prouenit lucrum, & ideo regiones quae auro indigent, carius illud facere solent, quo libetius ab exteris adseratur. Videndum est igitur hic sedulò, quid potissimum Reip. nostræ conducat, & vt auro potius & argento quam reliquis abundet metallis, quoniam vbiq; pluris illa fiunt. Istud qui non animaduertunt magistratus, imprudentiam suam satis manifestam reddunt: sed longior harum rerum consideratio aliud institutum recognoscit.

rerum consideratio aliud  
institutum re-  
cognoscit.

81

### De Republica Liber IIII.



I verum est quod dici solet, Antistes illustriss. eam demum artem quenq; bene nosse, in qua diu multumq; sit versatus, soli Reip. mode ratores de Rebus p. recte loqui possunt, & homines priuati rerum domesticarum administratione debet esse contenti. Ego quidem in ea sententia semper fui, vt hanc priuatorum hominum de rebus publicis loquendi libertatem, putem saepe maximarum calamitatum causam esse. Nam vt omittam reliqua mala, frequenter non tantum malevolentiam (quae tam per se pessimum quippiam est) sed etiam seditionem ciuium excitat contra magistratus & principes, qua nihil periculosius, nihil in ciuitate deterius esse potest, & pulcherrimum rerum ordinem corrumpit, dum quod alterius superioris officium est, inferioris conditionis homines sibi temere cupiunt vendicare. Verum in me haec reprehensio minimè cadere posse videtur, qui non alicuius Reip. constitutionem, aut partem eius aliquam vitupero, sed rationes harum rerum in uniuersum tantum considero, quod viris studiosis semper video fuisse concessum: nec artem ipsi tradunt, in qua non sint antea diligenter versati. Multorum enim scripta legerunt, qui hanc artem optimè tenuerunt, & ex historijs plurima exempla, tanquam experimenta quadam sumpserunt. Officium autem eorum esse videtur, rerum omnium etiam publicarum naturam considerare, quod dum faciunt, ab æquo iudice reprehendi minimè debent. Philosophia reliquis omnibus disciplinis, etiam ciuili, fundamenta sua iacit, quæ certè Philosophie studiosus contemplari potest. Non est igitur quod villam hac in parte reprehensionem

Y præfer-

## DE REPVB.

præsertim apud te virum sapientissimum & optimū pertinemescam: & tamen longè difficillima nostræ orationis pars est, quā nūc aggressuri sumus. De personis enim & legibus dicendum est, in quibus à multis multa pafsim reprehenduntur, nec citra summum bonorum dolorem: qui si pro rerum indignitate cōqueri vellent, his corruptissimis temporibus, vereor ne plus susciperent laboris, quām proferrent fructus. Cūm itaq; bene sciant, non tantū quid deceat, sed etiam quid fieri possit, sibi potiùs dissimulandū, q̄ inaniter verba profunda putant, quamvis interim calamitates temporum deplorare non desinunt. Nam eorum dolorem assiduò refricant multorum hominum quotidia n̄e cōtumeliæ, contra eos scilicet qui sunt in dignitate constituti. Continuò clamitant, eos qui moribus & exemplis omnium animos ad virtutem flectere debebant, vitæ turpitudine nos à virtute nō mediocriter auertere: eos quos propria negligere decebat, quo conseruarent aliena, nunc aliena potiùs inuadere ne cogantur impendere sua, vel vt tam sua quām aliena ad inexplebilem vel auaritiam vel libidinem exaggerēt. Hæc & alia multa multoq; maiora, quæ recensere non decet, quotidie cogimur audire à talibus. sci licet hominibus, qui cūm ipsi nihilò melius, imò multò deterius viuāt, ex magnorum virorum reprehensione sum mam capiunt voluptatem: & tamen quoniam vitia reprehendere videntur, à multis probitatis & pietatis titulo celebrantur, facileque per ingeniorum infelices & male cultos agros nocentissimas spinas inferunt, quibus bonā segetem opprimant, & Reip. corpus dilacerent. Sed tamen si quis cæco quodam impetu non impellatur, res ipsa profecto loquitur, non posse summam impudentiam esse cum villa virute coniunctam. Summæ verò impudetiæ est magnorum virorum publicam autoritatem tam temere tamq; contumeliose contemnere, quam Deus esse voluit apud omnes

in sum-

## LIBER QVARTVS.

82

in summa quadā veneratione. Nisi verò certi dignitatum personarumq; gradus sint, & superiores ab inferioribus colantur, necessarium est protinus omnia fieri perturbatio- nis plena, quod quanquam per se satis manifestum est, ex ijs quæ deinceps dicemus, multò euidētius fiet. Cūm ergo iam satis ostēderimus, quibus potissimum bonis abundare deceat vniuersam ciuitatē, deinceps ciuium discrimen à nobis cōsiderandum erit. Differunt autem ciues natura, instituto vitæ, & reliquis externis ornamentis, de quibus omnibus cūm à nobis antea multa dicta sint, quatenus omnibus conducunt, iam ex ijs personarum & officiorum varietatē inquiremus. A natura prouenit insita corporis & animali nobilitas, quæ quidem instituto vitæ non tantū conservatur, sed etiam suum incrementum sumit, & eam etiā auctoritas apud populum fermè comitatur. Cūm autē natuitate nunquā instituto vitæ raro duo sint pares, oportet vt inde sit ingeniorum in Rep. tantum discrimen, quantū oratione nulla describi potest: quod tamen per singulas Resp. vult à magistratibus diligenter perpendi, quo & singularis malis remedium, & bonis iustum inueniat incrementum. Tertia ciuium differentia maximè prouenit à fortuna, quanquam ad eam natura quoque & industria plurimum valet. Quid autem appelletur fortuna, & an ipsa sit quippiam in hac natura, quemadmodum multi arbitrati sunt, qui non tantū in rerum sed eam etiam in deorum numerum collocarūt, latius disputatur à Philosophis, nec eius plenior inquisitio pertinet ad hanc considerationem: tamen illud vnum hic & alibi semper intelligamus, omnia diuina prouidentia planè gubernari, nec in ea locum ullū unquam esse posse fortunæ. Sed naturæ voluntatisq; humanae motus obscuriores frequenter sunt, quām vt à nobis rationes earum intelligi possint, & eiusmodi quidem ignoratio, cūm aliud quippiam, quām quod nobis propon-

Y. 2

suerat

## DE REPVB.

sueramus, inquit, facta nostra cum fortuna coniungit. Ita multis optimè natis & institutis omnia deterius, q̄ decere videatur, succedunt, alijs preter rationem omnia proueniunt ex voto: præter rationem in quam humanam, sed tamē aliqua causa naturalis & diuina est, licet nobis sit ignota. Sed fortuna quoq; s̄æpe cū natura ratione q; se coniungit: ita prudentes homines fermè diuites fieri videmus, quod tamen iam non amplius fortuitum est, siquidem euidentes & proprias causas habet: sed partim fortuitum esse solet, quoniam dum alij diuites sunt, interim alijs sapientiores miseri sunt, & homines inepti s̄æpe sunt reliquis multò locupletiores, nec cur id accidat causam eudentem reddere licet, & ideo reiçimus eam in fortunam. Hæc autem cùm latissimè pateat, et apud omnes maximè sit in ore, ideo nos ab ijs incipiemos, in quibus ipsa plurimū potest, & hanc deinde cum ipsa ratione natura q; coniungemus, dum scilicet de magistratibus verba faciemus: nam s̄æpe fit, vt hi bene nati sint & instituti, populiq; bono iudicio constituti vel confirmati: quanquam in fauore ciuium magnā partem sibi fortuna quoq; vendicat, vt etiam in eo, quod ferè nascatur Principes & Reges. Sed in diuitijs cōsequendis & amittendis ipsa longè tenet principatum, de quibus est etiam à nobis proximo loco dictum. Quoniam igitur ciues alijs diuites alijs pauperes sunt, ab ignobiliori parte, nimirum maiore, nunc exordium sumemus, & interim etiā diuitum officium explicabimus, quanquā ex ijs quæ prius de iustitia tradita sunt, intelligi potest. Res enim eadem s̄æpe cum alijs multis tam est cōiuncta, vt multis in locis eius mētio fieri velit. Quod autē curandum sit à magistratibus ne pauperes fiant ciues, quodq; luxus & ignavia, quæ penuriam in Remp. introducunt, penitus eijs debent, ex ijs etiam quæ prius dicta sunt, & Perfarum, Romanorum acaliorum populorum exemplis satis constat, inter quos alijs,

## LIBER QVARTVS.

83

alijs, iuuentutem præcipue, frugalissimè nutriri voluerūt, nec forum quidem rerum venalium in urbe sua constitui patiebantur, alij non nisi honestissimas artes & ad usum vitæ necessarias, ciues suos discere permittebant, & sic alijs populi his & alijs præclaris institutis ad frugalitatē & labore ciues suos exercebat, quò facilius & necessaria quærerēt & penuriam tolerarent, vel potius vt nimia penuria profigarent. Nā fieri vix potest, vt ij qui parcè viuunt, & ijs comparandis quæ requiruntur ad vitam diligenter incumbūt, paupertate magna premantur, nisi natura fortuna q; desiderijs eorum plane dēsit. Sed qui iam non habent unde vivant, qui sibi necessaria quærere nequeunt, omnino sunt à ditionibus & ab ipsa Repub. iuuandi. Summum procul-dubio dedecus est, eos à nobis Christianis non subleuari, quos adeò nobis ipse Christus commendarit, vt beneficium quo nos eos iuuamus, melius non possit collocari. Ignominia profectò summa est, eos fame sitiq; cruciari, eos humi iacere sordidatos, nudos, afflictos & moribundos, qui non tantum naturæ pietatisq; nobis affinitate coniuncti sunt, sed etiam Christi vicem reddunt. Certè summum opprobrium est nominis Christiani: nos interim prætergredi, nec solum non iuuare vel consolari, sed nec misericordiæ nos qui ijsdem calamitatibus obnoxij sumus, nos qui pietatis titulo tantopere nobis placemus, aut alijs saltē placent volumus. Sanè minimè decet Christianum à Christia non negligi, contemni, miserijs objici: imò cùm videamus etiam inter feras relictum esse misericordia locum, nē homines quidem merito dici possint, qui carent omni humanitate, tantum abest vt sint Christiani, cùm non tantum officium Christiani negligant, quod positum est in mutua benevolentia, maximè tamen erga afflictos, qui proxime Christum, dum in terris ageret, referunt, verūmetiam repugnant, non tantum Christianæ, sed etiam humanæ, vel po-

Y 3 tius

## DE REPVB.

tiūs vniuersæ rerum omnium naturæ, quæ proculdubio mutuo quadam amore conseruatur: cōseruatur inq; tota, sed præcipue partes eius præstantiores, quæ rationis etiam & maioris diuinitatis vinculo continentur. Idq; est quod cūm diuinæ tum humanæ, sed præcipue diuinæ leges, nobis mutuam benevolentiam & beneficentiam adeo commendarint, id est quod omnes boni dicuntur in vnū tam arcte coniungi. Quod si in eo potissimum amore est Christianitas collocata, dubium esse nequit, quin eius omissione vehementissime ledat Remp. Christianam. Nos epulamur splendide, dormimus molliter, cūm interim innumeri per Christum nobiscognati, plurimis calamitatibus subijciantur. O nomine tenus nō re Christianos, reliquis gentibus detersores. Quid enim præcipit vnicus Dux noster, cui nos tantum militamus, de quo solo gloriamur, per quem maiorum omnium victoriā & æternos triumphos speramus. Amate vos mutuò, pauperes habete commendatos, quicquid his beneficij feceritis, in me totum repositum fuerit: militiae meæ præcipuum vobis signum relinquo, ardenterissimum amorem & beneficentiam, qua possitis à reliquis gentibus discerni, quæ sub meis signis nō mōrent. Hæc & huiusmodi nobiscum loquitur continuò princeps noster & rerum omnium bene gerendarum vnicus magister, quæ nisi sequimur, necesse est ut desciscamus, & iustas perfidias penas demus. Ergo totis viribus his præcipuis pietatis negotijs incumbamus, nec ducis nostri victoria signa deferaimus, quæ maximè nobis referunt mutuum amorem. Dixiceret aliquis, in tanta mendicorum multitudine quid possumus omnibus prodesse singuli? atqui multum singulis possumus omnes: omnes enim à nobis ali & sustentari, paucosq; fame perire videmus. Quanquam etiā pereunt, quorum vitalis succus inedia diurna sensim exauritur. Curandum autem à nobis fuerat, ut paulò liberalius aleretur, idq;

## LIBER QVARTVS.

84

idq; vbiq; fieri posset publica authoritate, cū maximo modo & ornamento ciuitatum, sine tamen nimis expensis: præcipue si ad excludendā fraudē hominum, vel iniquè publica distribuentium, vel in suos vsus multa vertentiū, summa diligētia adhibeat. Nō vsq; adeò multi sunt, qui victum comparare nō possunt, qui tamē sæpe aliorum impudentia beneficio sibi debito defraudantur. Nam viles isti scurræ, vt minus verecundi sunt, ita & morbos egregiè simulare, & pijs hominibus impie fucum facere norūt, qui per magistratus necessarijs operis adiuncti, Remp. iuuaret, facile sibi victum lucrarentur, & integrè miseri diuītum beneficio fruerentur. Insuper hac arte multi melius tractati à morbis, quibus varijs obnoxia paupertas est, curari possent, & hoc pacto ciuitatibus etiā vtile reddi. Quid quod pauperum ciuium filij, qui nihil aliud alioqui quam impiudenter per vrbum vagari discunt, etiam institui liberaliter possent, & negotijs ingenio cuiusque accommodatis adhiberi. Nec dicat quis eiusmodi rationibus occasiones exercendæ pietatis de medio tolli: nā non minùs pium fuerit per magistratus, qui optimè beneficia distribuere nō rint, pauperibus aliquid largiri, quam te id ipsum in vsus incertos expendere, imò etiam interdum in graues abusus: non quod aliqua culpa pietatis sit, sed q; ob id pietas non est impia, si cum prudentia sit coniuncta. Deinde si quid publicè numeras, iccirco non interdiceris exercere pietatē priuatim: & insuper nulla ciuitas sine misericordiam beneficiumq; nostrum vel maxime merentur. Hi tamen ne impudenti licentia vagentur, & alienas Resp. onerent, cogendi sunt, vt ad suā si possunt discedant, si verò per morbum nequeunt, fuerint etiam publicis expensis humaniter alendi. Nam cūm omnes varijs casib; obnoxij simus, idēm ciuib; nostris in externis vrbius fieri velim. Certe quemadmodum scriptū est apud

Plato-

## DE REPVB.

Platonem, nullum maius peccatum quam cōtra hospites, præfertim supplices, esse potest. Ergo tam ciues quam exteri sunt humaniter à nobis iuuādi: nam diuitiae nihil aliud quam instrumentum sunt, quo comparentur ea quae necessaria sunt ad vitam, non tantum nobis, sed ijs etiā omnibus, qui nostram opem requirūt, & illis maxime, qui nobiscum magis sunt legum vinculis cōiuncti: inter quos prius locum parentes reliquiq; ciues, & etiam omnes homines suū tenent, secundum ea iustitiae præcepta, quae tametis sunt in vniuersum satis à nobis superius explicata, nunc quantum ad rem præsentem attinet, breuiter repetemus. Cūm itaq; diuitium officium propriū sit, vt semper quantum possunt miseris hominibus subueniāt, id ipsum fuerit ab ijs cum magna prudētia faciendum: vt omnia secundum dignitatem & dantis & accipientis fiant, vt qui sunt alijs ditiones, plus etiam distribuāt, & plus adsequantur, qui grauiore penuria laborāt, ac inter eos meliores reliquis præferantur. Omne nimirum ciuium officium virtutem & vtilitatem spectat, & potius eam quae reliquis omnibus antecellit. Itaque magis iuuandi sunt meliores, nec id tantum, sed ab omnibus curandum etiam est, vt omnes meliores fiant. Verū quoniam etiam beneficium accipientis consideratione aestimatur, quanto hic fuerit miserior, tanto debet illud præstantius iudicari, quoniam magis interest Reipub. vt periclitantes ciues liberentur, quam ut alij promoueantur: quanquam hic quoque, quemadmodum in alijs omnibus considerandum est, vnde Resp. maiorem vtilitatem adsequatur: nam id ipsum ab omnibus fuerit omnibus modis faciendum, nec tantum maiores, sed etiam plures, immo si fieri potest, omnes vtilitates sunt eligendæ, vt si qui mali sint, ægroti & pauperes, debeat meliores, sani ditionesq; reddi: nam Deus nos, tametis pessimos, maximis beneficijs affecit. Sed quatenus pauperes pe-

cuniae

## LIBER QVARTVS.

85

cuniae defectu sunt inferiores, par est vt catenus diuitibus se summittant: nam cūm arrogantia neminem deceat, omnium turpissimè fuerit cum inopia coniuncta. Quanquā non minus turpe, nimirum inhumanum & crudele fuerit, si diuites superbiam exerceant in homines supplices & calamitosos. Humaniter ergo sapiēterq; pecunias in vsum pauperum distribuāt, nec id tantum, sed ijs omnibus semper vtantur in Reip. totius vtilitatem, non ad exsplendū inexplibilem luxum vel etiam atuaritiam. Cūm officium cuiusq; in communi felicitate versetur, ac ad hanc rectus pecuniarum vſus plurimum possit, qui eas tantum seruat, sine suo & ciuitatis vlo fructu, desertores etiā officij sunt, & Republicæ violatores. Idem de illis dici potest, qui vel animo vel corpore valent, nec exercent ad publicam gloriā & vtilitatem, cum qua non ignorant aut ignorare debent suam etiam esse cōiunctam: iij cum natura nobiles sint, insitudo vitæ sece ignobiles reddit. Vera nanq; nobilitas sine veris virtutibus vñquam esse nequit. Parum enim refert, quod aliquis natura generosus sit, si se non exerceat ad omnē honestatem. At etiam minus adhuc q; natura maiorum gloria valet, præfertim si ab ea filij vitæ turpitudine plane degenerarint. Quidenim prodest, quod parentes fuerint omnibus virtutibus celebres, si filius omni scelerū genere sit infamis. Ea nobilitas verè dedecus est, cūm filiorum flagitia parentum splendor illustrat, & illa demum vera nobilitas est, cūm quis suis factis seipsum & etiam alios notos reddit: quod cūm per insignes virtutes fieri soleat, inter eas etiam ingenium & doctrinā suum locum habet. Homeris neq; patria neq; pater notus erat, & is tamen non se tantum, sed plurimos nobilissimos principes, qui iam alioquin nemini noti essent, nobiles fecit. Omnes fermē gēniū dīj, tam obscuris erant natū parentibus, vt, quod maioris authoritatis eorum virtus esset, originem suam ad cælū

Z referre

referre cogerentur: & illi tamen non tantum nobiles, sed & dij quoque facti sunt: ea vera nobilitas est, qua se filij parentes & patriam illustrant. Non tamē negari potest, quin à bonis parentibus frequenter boni filij procreentur, sed non est admodum necessarium occultas ingeniorum causas quærere, cùm argumenta vitæ sunt manifesta. Verū si reliqua paria sint, virtus maiorum suam etiam dignitatem filij afferat: nam & effecta suas causas, & filij parentes referre, & à bonis parentibus illi melius institui solent: at oportet vt ad reliquam nobilitatem vītē integritas accedat. Ut igitur redeamus vnde dicens sumus, quisq; quantum potest animum & corpus Recip. exerceat, & ita naturam suam exercitatione continuo meliorem reddat. Qui vero naturam optimè compositam habent, & in virtutibus diligētissimē sunt versati, digni sunt, qui teneant inter ceteros principatum. Ita fit vt eiusmodi hominibus merito publica potestas communī consensu detur: & inde magistratus suam authoritatem obtinuerunt, de quibus deinceps differemus, dum officij publici rationes præcipuas consideramus. Cūm autem aliud pacis & aliud officium bellī sit, in hoc duces & milites, in illo iudices & reliqui magistratus versantur, & princeps virtusq; summā curam gerit. Iam quod omnes illi qui publicam personam gerunt, officij ratione differant à priuatis, est manifestum. Officij vero vis omnis est ex eorum qui potestatem habent iusto consensu. Potestatem primū tenent ciuitates omnes, qui Rēpubl. constituunt, & deinde etiam illi, qui à ciuitibus eam authoritatem habent. Constat autem vel in animo vel in corpore, vel in rebus externis omnem esse potestatem. In animo fortitudinis vis apparet, quam tamē oportet cum sapientia reliquisq; virtutibus esse coniunctam, si modò voti sui compos est vñ quam futura. Deus enim omnis virtutis est & potestatis principium, qui nunquam inter vi-

ter vitia versari cupit. Quanquā verò quis habeat animum optimè compositū, si corporis vires defint, in res humanas magnam potestatē obtainere nequit: verū si multum corporis labore valeat, quamuis improbus ipse sit, alios subiecti sibi potest, quemadmodum de gigantibus Poëta scribunt. Rursus si robur sine sapientia reliquisque virtutibus firmum imperium redderet, multis animalibus seruire cogemur: at nunc per rationes rerum gerendarū illis superiores sumus. Quapropter sapientia reliquisque virtutibus & instrumētis corporis ad eximā potestatē est opus. Quod si verò cetera paria sint, plures semper potentiores sunt, q; vñus aliquis, & hinc est, quod priuata semper publicis cedant. Quoniā autē rebus externis hominū voluntates nobis conciliare solemus, hinc est quod in illis etiā potestatē esse dicamus. Prima vero perfectaque potestas est in Deo, vnde in animos & in corporaturam descendit, cuius quidem participatum plures maiorem obtinuerunt. Plures autem homines, quoniā omnibus negotijs omnes interesse nequeunt, in quosdam præstantissimos potestatē suam cōferre solent, quos, si opus sit, totis viribus sunt adiuti, & ita publico consensu officia publica sunt constituta, cū quibus prouidētia diuina, qua nihil potentius est, se coniungit, à qua quidē principatus omnis præcipua suā authoritatē habet. Hæc enim multorū hominū voluntates congregat, nec donec sibi visum fuerit eas patitur dissolui. Sed ubi iam & potestas & voluntas ciuium est, ibi creatus est magistratus: si tamen voluntas fuerit eidētibus signis declarata: nam occulta diuino, non autem humano iudicio sunt relicta. At potestas ciuiū in ea se tantum extendit, quæ Rēpubl. amplexu continentur. Nam si cui ius in alienas Resp. detur, illud certè nullius erit momenti, nisi quartenus nobis subiecti possint. Oportet enim vt potestas fine suo non destituatur: oportet etiam vt finis illē non sit ini-

quus, quia nullum vitium ullam vim in Rep. bene constituta obtinere debet. An autem necessarium sit, ut is qui magistratum gesturus est consentiat, queri posset: at qui nisi consentiat cum omnibus ciuibus in comunem felicitatem, Rep. sua desertor erit, qui nunquam in officio suo recte sit versaturus: quapropter oportet, ut omnes consentiant in unam Rep. salutem. Magistratus autem bene constitutus in omnia quidem sibi commissa negotia potestatem habet, sed necesse tamen est, ut interim conditiones, quibus ipse constitutus est, sequatur. Leges enim a populo de magistratis quoque promulgari solent, quibus, tametsi reliquorum dominus, cogitur inferire, & in omnibus communem felicitatem sequi, sic ut nullo priuato, sed tantum publico bono commoueat. Itaque boni & prudentes, immo potius optimi & prudentissimi sint oportet, qui res publicarum curam suscepunt: id autem multas ob causas raro contingere dicit in Rep. sua diuinus Plato, & meo quidem iudicio optimè dicit. Ait enim hoc spatiū in quo vescamur tanquam valissimum & tenebricosissimum quendam esse specum, in quem innata propensitudine sic totis sensibus trahamur, ut nec unquam respicere nec externa iucundissima luce hic plenè liceat frui: tantum enim nos intueri quasdam rerum umbras, nec eas quidem euidētes, sed quas obscura tanquam facula transitu rerum in interiorem antri faciem depingat, nisi multo studio & pietate solutis crassis sensuum vinculis, pedetētim recurrantis, & sensim pietati fulgoris; diuini luminis assuecamus: in illa vero luce æterna, quæ cum splendor sit summi boni, secū & afferat verissimam vitam & viuam veritatem, sapientes omnes libentissime versari dicit, eosque si repente cōpellantur in hunc specum, subita caligine victos, nihil omnino videre, quemadmodum nec eos qui confessim è densis tenebris in apertam solis lucem emergunt, quod nullam re-

pentit-

pentinam immutationem sustineat haec rerum natura. Ita iudicat eum qui feliciter sit Rempub. gubernaturus, subinde debere tam tenebris assuefacere se quam luci: quoniam è luce rerum gerendarū ratio proficiscatur, & tenebræ certi non possint, nisi quis prius eas didicerit ferre. Hinc autem esse censet quod pauci magistratus boni sunt, quoniam a tenebricosis hominibus verum lumen nec cognoscatur nec ametur, & quoniam qui diu in iucundissima luce versati sunt, in tenebris vivere non velint, nec si velint possint, nisi cogantur in illis subinde morari: ita putat nullam beatam fore ciuitatem, nisi in qua sapientissimi, vel utilitate communis, vel malorum odio, vel aliqua tanquam vi compulsi Remp. capessunt. Certè necessarium est, ut in felici Rep. prudentissimi sapientissimique sint, qui magistratum gerunt. Primum suam familiam omnem tam egregie componant, ut nec ipsa officium ullum necessarium, nec in ea officium aliquod ullum sui ministerium, nec etiam quis officium ullum requirat: ita suis suorumque diuitijs omnia dimetiantur, ut nec vel suos penuria grauare, vel villam cuique iniuriam facere cogantur, & ad familiæ cuiusdam magnæ similitudinem moderentur: etiam totas ciuitates: cumque omnia suis dignatum gradibus distribuerint, diligenter curent, ut omnes quam optimi ciues sint, vtque inferiores a superioribus potius exemplo virtutis, quam Imperij securitate gubernentur, & ut omnia pulcherrime contendant in unum felicissimum finem. Eiusmodi magistratus, ut Dei Opt. Max. vicem proxime referunt, sic eius placita maxime sequuntur, quæ volunt summam potestatem esse cum summa bonitate coniunctam: ita reddunt ipse precipue felicem ciuitatem. Certè legimus eas Resp. semper maxime diutissimeque floruisse, quæ magistratis sapientissimis & optimis uterantur. Quemadmodum enim in grauissimis tempestibus, nisi peritissimus nauclerus sit, necessarium est sum-

Y 3 mis

## DE REPVB.

mis periculis nauem exponi, sic in tantis rerum humanarū ventis & fluctibus, magistratus nisi varijs experimentis & eruditione cum probitate coniuncta, rerum momenta dicerint, nequaquam incolumem seruare possunt Remp. Nam etiam si optimè sit instituta, quod quidem nostris aut etiam alijs, sed præcipue nostris temporibus raro contingit, tamen cùm leges tanquam instrumenta quædam sint, nihil efficere possunt, nisi quis illis egregius artifex vtatur: & quemadmodū pluris est faber aut arator, quam sit malleus aut vomis, ita maius consilium circa moderatores virbiū, quam reliquias constitutiones adhibendū fuit: quoniam interdum leniri, frequenter instrumenta regende Reip. pro materia debent exasperari, sæpius etiam in nouis negotijs instrumenta recentia fieri. Summa: profecto sapientia & virtute magistratibus est opus, quod sciant & ve- lint se decenter ciuibus & rebus omnibus etiam malis tum etiam bonis accommodare. Fallitur autem insigniter, qui magistratum se præclarissime gerere putant, si semper intollerabili grauitate tantum crimina punire videantur: nam quanquam vnam æquitatis partem tuentur, alteram tamē violant. Ius enim non tantum malos homines punit, sed, vt est apud Isocratem scriptū, & à Lycурgo & alijs bonis legislatoribus diligenter obseruatum, etiā bonos ciues extollit. Quapropter nō oportet, vt similiter tam erga bonos quam erga malos futum acerbissimum imperium exerceat: boni enim id agtē profecto, nec immerito, ferent, non tantum quod suis honoribus defraudentur, sed quod ferme malis hominib[us] pares habeantur: ideoq[ue] cùm natura non admodum simus proni, fieri etiā vt ad res præclaras adhuc multo tardiores reddamus. Deinde ex hac acerbitate fieri solet, vt qui liberiori generosioriq[ue] ingenio prædicti sunt, vel cum exilio huiusmodi iniquitatem commutent, vel in seditionis petracrofissimum quidem, sed alti tamē animi crimen.

## LIBER QVARTVS.

88

crimen impellantur, vnde quanta mala proueniant, Lace-demoniorum ciuitas, Atheniensium & Romanorum & alia quæ plurimæ satis declararunt. Itaque cùm tantum boni viri possint incolumē Remp. cōseruare, plurimū refert, vt Magistratum Principumq[ue] tyrannide non exasperentur. Natura comparatum est, vt scelera virtuti cedant, virtus autē præmijs alatur: quæ si nulla sint, necessum est, & illam diminuit malorumq[ue] prouentum augeri. Quapropter, vt est utilior medicus, qui corpora semper sana potest seruare, quæ qui protest laborantes partes habescindere, sic multò melior est magistratus, qui virtutē alere, quam qui virtua refecare nouit. Quid enim prodest multis malas herbas euellere, si nec agrum colas, nec semines, nec sitientem segetē riges? Quod si hæc prius feceris, facillimē noxia poteris extirpare: que vel ipsa fertilitate bonæ segetis obrueruntur. Sed qui & bonos humamiter tractare & malos severè rebuit, is procul dubio vt optimus erit magistratus, ita difficillimē poterit intueri. Nec tamen sapientibus admodum est difficile discernere bonos viros à malis: virtus enim, quæ sumnum secum asserti splendorem, nisi cæcutiens, semper lucis citius habemus: sermē mentis oculos cæligine priuati fauboris obscuratos, quinque culisq[ue] dignitatem & utilitatem Reip. intueri non sinat: hinc etiam fit, quod quisq[ue] potissimum eos, quos quacunq[ue] de causa maiori dilit, ad honores summos, euctos cupiat: at quoniam ex malis negotijs, quæ iam magis visitata sunt, frequētiores amicitiae conflantur, cumq[ue] unusquisque se potius privaret, quam militatis publicæ curam gerat, sit vt deteriores se præter melioribus imperent, & pro virtutibus virtua pafsum regnent. Profecto cùm in reliquis multis rebus, tum præcipue in magistratibus eligendis, non possum carum elupitum prudentiam saepem admirari, quæ vt olim optimæ gubernabantur, etiam diutissimè floruerunt! Cum enim

## DE REPVB.

enim viderent fauorem iustitiae vel plurimum aduersari, multos primum in magistratus eligi voluerunt, è quibus numerus eorum, qui necessarius ad res gerendas esset, quibusdam religiosissimis sortibus inueniretur. Iudicium enim humarum raro quidem incorruptum est, & etiam si fuerit omnino sincerum, sàpe decipi solet, nec omnes qui vindentur negotijs obeundis semper sunt accommodati. Sed si è multis illis meliorum electionem diuino iudicio tradamus, dubium esse non potest, quin id vehementer pertineat ad Rèipub. felicitatem. In initij autem potius vtemur electione quam sortibus: quoniam oportet nos primum nostram diligentiam adhibere, at semper tamen ad diuinam opem confugere. Hæc ars inter innumerias alias utilitates etiam istam non minimam secum assert, quod licet sortiti maiorem obtineant auctoritatem, omnes tamē electi prope patem videantur habere dignitatem, quæ vehementer ad emulationem virtutis ciues omnés incitare potest. Ceterè ea Resp. felicissimè gubernatur, in qua maximo consilio magistratus eliguntur, quod ex historijs & ratione rerum tam manifestum est, vt nullam demonstrationem requirat. Verum quanquam magistratus omnes & quiçunq; mune re publico funguntur, debeant esse reliquis ciuibus meliores & sapientiores, cum tamen officia diuersissima sint, non oportet vt omnes sint pares. Aliud, vt diximus, officium pacis est, aliud autem belli, quod quidem vtruncq; suminam virtutem, sed hoc postremum etiam corporis vim requirit. Rursus aliud in rebus externis est, aliud circa corporis curia versatur, tertium potius ad animum pertinet, quedam etià ex his quodammodo sunt commixta. In externis rebus versantur publicani, quæstores, & si qui ijs similes sunt, qui vectigalium, tributorum, fructuum publicorum, & pecuniarum Rèip. rationem reddunt: his ferme satis est, quod boni logistæ sint & fidèles. In ijs qui publicis operibus præsunt,

## LIBER QVARTVS.

89

sunt, vt fabris & architectis, & corpus aptum, & artis eius quam quisq; profitetur, summa peritia desideratur. Considerandum est igitur quibus rebus communibus indigeat ciuitas, vt templis, ædibus, propugnaculis, machinis, & id genus alijs, & ad eas artes, quibus ea fiant, aptissimi ciues instituendi sunt: sed in ijs quæ pertinent ad ciuium quotidianum usum, summa fuerit adhibenda cura, quæ tametsi priuata sint, tamen in totam Rempub. redundant: à priuatis enim hominibus ferme venduntur & emuntur, sed emuntur tamen ab omnibus, & ideo, si fieri posset, ea satius esset etiam ab ipsa Rep. vendi, quod quidem à quibusdam populis, in ijs rebus quæ continuis hominum necessitatibus seruiunt, utiliter fieri videmus. Ita certè meliora vilioraq; erunt omnia, multisq; impostoribus in ciuite non erit locus: hisce rebus qui præterant apud Romanos magistratus Aediles curules appellabantur. Ab ijs, & eius generis alijs prouidésum est, vt omnia quam minimo pretio comparentur, ne quid necessarium venale non sit, ne quid inutile védatur, & vt monopolia penitus & fraudes omnes de medio tollantur. Oportet igitur vt sagaces sint, nec tantum earum rerum, quibus præfecti sunt, sed etiam, quod difficillimum est, vt ingeniorum & captionum omnium sint periti, quoniam iam omnia videmus esse fraudibus plena. Verum non tantum in cibo & potu, sed in vestibus, in ædibus, & alijs hæc ars adhibenda fuit, in ijs tamen præcipue, quæ maximè necessaria sunt ad vitam, & in quibus maximè peccatur: at quoniam etiam externis hominibus vrbes patere debent, hi non minus, imò magis humanter, quam ciues fuerint tractandi: nam in quanto pretio semper hospitalitas fuerit, ex omnibus historijs & scriptoribus antiquis, & ex Homero solo potest esse manifestum. Ergo diuersoria commoda sint, & tam multa que sufficiat hominibus externis, nam ciues honestius domi suæ versantur,

Aa

## DE REPVB.

tur, in ijs omnia sint non tantum quæ famem & sitim tolere, sed etiam quæ lassos recreare possint, præfecti vero tales sint, qui nemini iniuriam fieri patientur, viri nimirum boni authoritate publica constituti: nam quantū idipsum referat, exempla multorum & experimenta satis eudenter docēt. Ad corporis curam oportet vt medicos publicos, pharmacopolas & alios ægrotorum ministros habeat ciuitas: nam quam optabilis sanitas sit, omnes quidem, & ij maximè qui aliquando ægrotarunt, optimè sciunt: at artifices qui publico iudicio examinati sunt, solent esse reliquis præstantiores. Sed animorum magnam curam gerere vehementer necessarium, summæq; cuiusdam & virtutis est & artis. Virtutes autem & vitia notabāt apud Romanos Censores, quemadmodum antea dicebam, qui profectō, si qui alij, maximè necessarij sunt in ciuitate bene cōstituta: nam animus cum corpore vel externis vlo modo conferri nequit, & etiā ipse est qui corporis & externa bona corrūpit. Necessariū est igitur vt sint, non tantum qui scelera puniant, sed etiam quileuiora peccata vel infamia vel alio damno notent: nam & minima quæq; tandem magna fieri solent, & si quis aliquid ingenuitatis habet, non minus infamiam quam supplicium pertimescit, si hoc semper non haberet illam secum coniunctam. Sed oportet, vt is qui vitia reprehensurus & virtutes recte laudaturus est, ipse laudabilis admodum fit, in quem nullum vituperiū cadat, oportet vt vir optimus sit & eximiè prudens, qualem Catonem illum & Aristidem legimus fuisse. Nec tantum publicos censores veteres habebant, sed illæ gentes quæ commissationibus delectabantur, in quib; maxima vitiorum matres esse solet, etiam in ipsis coniuijs iudices esse volebant, qui præscriberent comedendi, bibendiq; modum: eos autem Mnamonas appellabant, qui quidem fint inter cæteros vehementer continentes, ne prouerbium quod contra eos factum

## LIBER QVARTVS.

90

factum est meritò possit usurpari. Moribus planè perditis coercendis præpositi iudices sunt, qui pro peccatis magnis magnam pœnam imponunt. Cum autem nō omnia, vel nulla potius paria sint, hinc magnum est suppliciorum discriminē, sed omnia tamen in tria genera redigere licet, in externorum iacturam, in dolorem & corporis damnū, & in mortem: sed de supplicijs inferendis antea satis est dictum. Cum vero iudicem præ cæteris oporteat esse iustū, ab eo diligentissimè prouidēdum est, ne cuiquam ciui vel extero, vel Reipub. iniuriam faciat, sed vt in omnibus leges ciuitatis exactissimè sequatur. At quanq; omnis iniuria detestabilis sit, maius tamen corporis damnū est quam externum, & vita nullis alijs bonis vnq; compensatur: quapropter in vltimis supplicijs inferendis summo quodam consilio est opus. Sed tamen & iudices rerum externalium etiam sint admodum circumspecti: iustitia nimirum esse vult admodum exacta, nec vnquam ne in minimo quidem ab vlo, minimum tamen à iudice violari. Videntur autem etiam iudices rerum ciuilium, partim circa animum, partim circa corpus, & externa versari: voluntas enim animæ summa pars est, cuius ipsi vim & differentiam omnem, sed potissimum in his rebus externali discernunt. Considerant enim quid voluerint plures homines & quid potuerint, vt etiam antea dicebamus, id autem cum frequenter admodum obscurum sit, necessarium est, vt tam hi quam alij iudices omnes habeant mentis oculos valde claros, vt magnū consilium & deliberationem adhibeant, quemadmodum est apud iurisconsultos, & etiam vt velint id quod sciunt, & nullo fauore vel in hanc vel in illam partem trahantur, sed rectum rationis diuinæq; voluntatis iter semper obseruēt, nec tantum iustas, sed etiam certas & claras sentētias dicāt. Verum huius instituti non est hæc omnia latius explicare. Rebus magnis & communib; gubernādis solet esse super

## DE R E P V B.

rior senatorum & consulum magistratus: sed hæc in diuersis Rebus pub. omnia sunt diuersa. Romani etiam tribunos habebant, nam plebs erat ab optimatibus quodam modo diuisa, vnde frequenter graues seditiones natas videmus. Semper enim optimum est quicquid ex omnibus suis partibus in unum est maximè coiunctum. Sed quibus officijs publicis veteres vsi sint, non proposuimus nobis explicandum, quām multa verò in bene formata Rep. requirantur officia, rerum & hominum multitudo demonstrat. Sicensus publicus amplius est, & frequenter ciues, multis magistratibus est opus. Videndum est quibus rebus qui homines sufficiant, vt nihil usquam desit, nec etiam abundet: nam cū magistratus sumptibus publicis ferme viuant, non decet vt fint plures quām quos Resp. commodè alat. Nō autem tantum officia rebus & hominibus, sed & officijs officia præesse debent: sic in bello multi Decuriones sunt. & Centuriones, qui omnes legionis suæ duci parent, & omnibus ducibus unus superior est Imperator: id etiam in officijs pacis est obseruandum, vt videamus quām multæ quamq; magnæ res in Rep. sint, quamq; multos & quales gubernatores requirant, & etiam ad hos examinando quām multis sit opus. Ita quoniam facilius est iudicare quām agere, & quia plures à paucioribus examinari possunt, cōtinuò gubernatoribus gubernatores præesse oportet, donec à multis ad paucos, & à paucis ordine tandem perueniamus ad unū. Quod si rursus à summis ad ima descendere velimus, bonus Princeps à bonis cōsultoribus cognoscet quid ipsi ab alijs acceperint, & à tertijs secundi, donec deuentum sit ad postremos: sic ab imis ad summa rerum cognoscendarum & conficiendarum rationes in pulcherriam analogiam cōspirabunt, & à supremis imperandi ab imis ordo parendi confluet in optimam & tutissimā Reip. totius compositionem. Verū inter eos qui summū aliquē gradum

## LIBER QVARTVS.

gradum tenent, nondum omnes sunt pares: quidam enim in subditos suos omnem obtinent authoritatem, vel de bonis externis vel etiam de vita, cū iudicandi tum exequendi, & eam legibus non definitam, sed planè liberam habent, & tamen interim unum aliquem aut plures superiores agnoscunt, vt licet ipsi alijs planè imperent, in quibusdam tamen rebus, quæ scilicet communem & magnam regionū utilitatem continent, alterius imperium sequi cogantur: quidam iudicandi tantum secundum leges, & nō omnino liberam in subditos suos potestatem obtinuerūt: alijs verò summi sunt in rebus humanis, nec alterius imperio quām solius Dei tenentur, & aliae quædam, vel etiam ex his mixta differentiæ sunt, quæ partim ex hominū consensu, partim ex aliqua violenta potestate, vel potius omnes à diuinâ prouidentia suam originem habuerunt, nec hoc loco latius sunt à nobis inuestigandæ. Sed in quotcumque partes potestas publica diuisa sit, antea iudicauimus eā omnem in optima Rep. viius imperio debere contineri. Quoniam itaque monarchiā inter cæteras Resp. volumus Princeps esse præstantissimam, oportet vt in ea summus aliquis princeps sit, qui vt potestate, ita virtutibus, quantum imbecillitas humana patitur, ad imitationem Dei Opt. Max. proximus accedat. Nam, vt scriptum est apud Platonem, nec reliquis animantibus animantia, sed homines potius, nec hominibus homines, sed vel dij vel dijs simillimi præesse debent. Oportet in tantis difficultatibus rerum humanarum, vt alter quidam Deus sit, qui Dei Opt. Max. vicem in Rep. gerat. Princeps igitur intentissimis oculis ad diuinam voluntatem semper aspiciat, ad eam instituat omnem rerum cū priuatarum tum publicarum gubernationem, nec princeps tantum, sed reliqui quoque magistratus, & etiam omnes ciues, præcipue tamen ille qui præcipuum in Rep. locum Deoq; proximum tenet. Cū autem Dei vo-

A a 3 luntas

## DE REPVB.

Iuntas sancta sit, opus illi fuerit summa quadam pietate, cumq; nobis partim sacris partim naturæ literis sit descripta, eximia pariter illi vel cōsultoribus saltē eius eruditione fuerit opus. Operæ pretiū est igitur vt Principes sancti sint & prudentes, sanctisq; cōsultoribus, vt inquit iurisconsultus, & eruditis vtantur: aulas eorum oportet esse gymnasia quædā sapietiae & pietatis, vnde ciues omnes omnium virtutum exempla sumant: oportet à suis principijs causas felicitatis publice deduci, nam id in tota rerum diuinatarum & humanarum natura fieri videmus. Certè minimè decet, vt ij à quibus reliqui virtutis omnis incrementa sumere debent, euidenti vitiorum veneno sint contaminati: quoniam enim mala potestas præcipuas occasiones malorum præbet, quemadmodum est apud Euripidem & Ciceronem, ipsa confessum inficit totas ciuitates. Omnibus itaque virtutibus instruētus sit, & se tanquam amissi in rebus omnibus princeps vtatur: nam vt est apud Platonem, ipse tanquam exemplar quoddam est, cuius lex est opus & similitudo. Legis autē finis ius & æquitas appellatur: æquitate vero subditorum quidem utilitas & salus, sed hac tamē etiā, vt inquit Aristoteles, principis felicitas continetur. Tam bene siquidem res omnes inter se consentiunt, vt is qui prodest alijs, sibi non possit non prodesse: sed felicitatem publicam non suam ab eo præcipue spectari decet: oportet vt eam suis omnibus postpositis consequi sciat & velit, nec id tamen adhuc sufficit, sed oportet etiam vt quod mente cōceperit exequi possit: igitur in eo virtus sola satis nō est, nisi officij quoq; sibi exequendi habeat potestatem. Quapropter opus est vt diuinitijs & ministris abundet: vt, quamquam amore benevolentiaq; nihil melius est, si quid hoc pacto confici nequit, autoritate & iusta quadam violentia fiat: sed tamen recte Plato monet, vt virtus Principis magis admirabilis sit, quæ fortuna, potiusque velit quis esse

## LIBER QVARTVS.

92

esse princeps quæm videri, & vt populus potius eius virtute sponte quæm potestati per vim obsequatur: sanè vt etiā Aristoteles scriptā reliquit, pulcherrima quædā res est hoc modo liberis hominibus imperare. Quapropter iubet idē Philosophus vt Princeps tam multos ministros habeat, qui sufficient sceleratis, non autem omnibus coercēdis. Sit itaque princeps vir optimus, summus Reip. amator sapientis simusq; gubernator, bonis amabilis, sceleratis & hostibus, nisi iam hi deuicti sint, metuēdus. An autem ad clementiā potius quæm severitatem inclinare debeat, simpliciter definiiri nequit, sunt enim homines, tempora, negotia, quæ clementiā potius requirant, sunt etiam quæ propter scelerum magnitudinem, severitatem. Recte prefecto Rex ille, qui cum quidam, qui capitale crimen commiserat, à iudice fuis set absoltus, pro illo reum, pro secundo scelere, quod hic postea perpetrarat, iudicem ipsum, quod eum prius absoluisset, tanquam eius posterioris sceleris authorem condemnauit: nisi tamen grauius aliquod malum timeatur, princeps magis ad clementiam fit propensus. Sed inter reliquias virtutes, vt est apud Ciceronem, in principibus & alijs diuitiibus liberalitas maximè laudatur, in qua tamen, quemadmodum idem author inquit, & ipsa ratio dictat, & nos etiā antea mostrauimus, dignitas est iustitiaq; seruanda, ne vel inmeritis quicq; vel bene meritis minus quæm oporteat largiantur: si tamen hoc cōmodè fieri potest. Nō enim tam liberalis, vel prodigus sit potius, vt vel sibi suisq; deficit, aut ab alijs iniuste quicquam sumere cogatur: nam non volunt esse beneficia cum maleficijs vñquam coniuncta. Sic igitur singulis proficit ciuibus, nē obſit alijs, & semper totā Remp. iuuet, nec tantum proficit, sed etiam nemine in iuste lādere patiatur: nam vt antea diximus, alia pars virtutis in faciendo est, alia verò in omittendo: semper autē virtutes humanitatis cum dignitate sua coniungat, ne leuior sit,

sit, quām vt authoritatē violet, vel magis grauis, quām vt ferri posit: vbi considerandum, quōd ea quae nonnullis in locis, temporib⁹, & hominibus leuitas aut seueritas est, alibi mediocritatis appellationem & aestimationem habet. Necessarium est principem se Reipub. sua accommodare, & semper tamen proximē ad verissimam virtutem accedere: talis igitur vir qualem nunc ferme descripsimus, populi consensu merito summum imperium in Rep. sua tenet, reliqui ordine medium aliquem aut ulteriorem, & sic in bene constituta ciuitate, quemadmodum & in natura rerum, omnia pulcherrima quadam analogia conspirant in unum optimum omnium finem, inferiores superiorum authoritatē, superiores inferiorum utilitatem, omnes autem diuinam voluntatem semper intuētur, & pariter optimos plurimosq; communis beatitudinis fructus vniuersa Rep. singuli ferunt. Quanquam autem difficultum est & impossibile eiusmodi Rep. perfectam speciem in his rebus humanis videre, curandum tamen vt proximam aliquam, vel saltem non remotissimam teneamus, quod facilis fiet, si principes optimi prudentissimiq; sint, & ea bonorum genera, de quibus antea diximus, per vniuersam Remp. diligentissimē ferant, animos omnium, & eorū maximē, qui reliquos excellere debent, excolant, & vitia penitus eradicent. Ager enim incultus & horridus eximios fructus proferre minimē potest, & cum humana natura tam sit sterilis, inīo tam tribulorum & spinarum ferax, opus est vt eam exercitatione culturaq; magna subigamus, si modò quicquam est egregij nobis editura. Multum intelligebat veteres illi Aegyptij, Græci, Romani, qui tam cōcinnē suas habebant distributas Resp. vt quid esset in quaq; parte vel vitij vel virtutis facile tum discerni tum etiam vel castigari vel laudari posset: ingenia similium hominum locis etiā coniungebant, dissimiles autem ita separabant, vt dignitas cuiusque

cuiusque semper in columnis seruaretur, & unusquisq; melius officium suum exerceret: emulatio nimisrum vehementer iuuat artes, & melius id omnes profectō faciunt, quod à multis ab ētate tenera simul didicerunt. Itaque Plato, nō tantum secundum artes, sed quod longē difficultius est, secundum mores diuidi vult ciues, & malos à bonis plane separari. Certè maxima quēdam res est ordo cōcinnus cū rerum tum hominum in ciuitate, & ideo veteres circa decentem omnium distributionem tam vehementer laborarunt. Multum ego vidisse iudico Seruium illum Tullium sextum Romanorum Regem, qui cū populum in centurias pulcherrimē diuisisset, in omnibus dignitatibus iustū seruari ordinē voluit, & curauit vt diuites plus quām pauperes numerarent, in suffragijs ferendis etiam plus auctoritatis haberent, & omnes se ad Remp. in bello paceq; tuendam & augendam diligētissimē exercerent, vt & domi res egregiē administrare, forisq; prælia fortiter inire scirēt. Ita quemadmodū Græci habebat Olympica, Pythia, aliaeq;, sic etiam suis ipse proposuit certamina, quibus animos corporaꝝ ciuiū exerceret ad res præclarè gerendas. Qui verò corpus & animum validum & exercitatum habet, mirum est quantum reliquis antecellant, qui neutrum, vel alterū tantum, nec sibi nec patriæ gloriam ullam afferre possunt: nā nec corpus sine animo quicquā efficiet, nec animus solus, quantum uis bonus, si languido corpore rebusq; gerendis non accommodato vtatur, sufficiet ad præclaras actiones. Certè disciplina potissimum efficit, vt Græci, Romani, aliæq; gentes, & domi feliciter viuerēt, & aduersus hostes triumpharent, disciplina in quam, tum belli, tum etiam pacis. Sed his de rebus antea multa diximus, nec hoc loco plura sunt dicenda, quanq; in eo maxima momenta felicitatis sunt, si hæc & alia eiusmodi principes diligenter & animaduertant & curēt obseruari, quæ certè sunt eorū cure maxi-

## DE REPVB.

mē relicta. Verūm quoniam antea satis multa pro instituto dixisse videamur, quibus bonis abundare debeat Resp. & iam proximē ciues descripsimus, qui ijs Reip. bonis fruantur, reliquum est, vt nunc breuiter ostendamus, quibus artibus & à quibus hominibus ea commodissimē poterunt defendi. Non enim satis est, quod in ciuitate cuncta præclarè cōstituta sint, nisi ea sciamus ab externis iniurijs egredi tueri, id verò non difficile fuerit, si tales principes sint & reliqui ciues, quales nos in beata Rep. desiderabamus, qui virtutibus omnibus & eximia fortitudine prædicti sint, & omnes vnanimiter minimē dubitēt quēuis pericula pro salute communi subire. Sanè cum iustitia, necessitas, prouidentiaq; diuina sāpe quodammodo nos ad prælium impellat, vehementer ad Reip. salutem pertinet, vt gubernatores non tantū ea quāc conductant ad pacem bene componant, sed etiam quāc spectant tempora belli, quoniam si in ijs bonitatis specie ducti sint negligenter, potius hostium libidini ciuitates obijcere, quām tranquillitatem sequi videbuntur. Evidēt si pace nobis perpetua fruilece ret, nemo tam demens esset, qui bellum ullum putaret unquam esse fuscipiendum: nunc autem cūm ea vel nulla vel non diuturna sine militia potiri possimus, vt scriptum est apud Thucididem, ideo recte, cūm bellum ipsum malum sit, illud Philosophi boni causam interdum esse dicunt, qua nonnunquam etiam optimi viri debeat vti. Ad defensionem autem præcipue ciuium sociorumq; causa bonus dux & miles bellum gerit: verūm etiam vt optimē constitutum imperium propagetur nōnunquam bellum à bonis principibus fuscipi potest, non quo sibi alios perphas & nephas subditos reddant, sed quod eos qui rectum virtutis iter non ingrediuntur melius à se gubernari & ad feliciorē vitam cupiant perduci: ita boni Ducez non tantū suam suorumq; sed etiam hostium utilitatem sibi propo-

nunt,

## LIBER QVARTVS.

94

nunt, & hinc esse putant, quod Deus passus sit tam latè Romanum Imperium extendi. Itaque quoniam quādam gentes magis barbaræ sunt, quām vt libertate debeant frui, hinc dicit Aristoteles subiugandorum quoq; populorum ius originem suam habuisse. Propter pacē autem & bellū, vt est apud eundē Philosophum, in duas præcipuas partes ciuitas omnis est diuisa, in milites iuvenes, & in consultores senes. Per sapientiam quidem cum reliquis virtutibus, quāc quidem magis in senilem ætatem cadunt, in pace ciuitas optimē gubernatur: verūm propter bellorum necessitatem, iuuentutis etiam labore fuit opus: attamen quāc hoc necessarium sit, in senum sapientia Reip. felicitas potius simūl est collocata: quoniam, vt inquit recte M. Tullius, nullius fermē momenti sunt arma foris, nisi consilium sit domi. Non enim prodest aliena quārere, si interim res nostras amittamus; amittemus autem nostra, si potius inconsulto iuuentutis impetu, quām maturo senum consilio gubernentur: nam etiamsi ab exteris non tententur, proprijs motibus tandem rulent. Deinde robur sine prudentia etiam in bellis raro vtile est, sāpius quoq; perniciosum, & ideo non tantū fortis, sed etiā sagaces milites esse decet, quē admodum scriptum est apud Xenophonem: tales autem soli veterani fuerint, & ætate iam mediocriter prouecti. At inter reliquos omnes, duces ipsos non tantū fortis, flices, magna autoritate, sed, quod præcipuū est, longè prudentissimos esse decet. Nam præclarè scriptū est apud Plutarchum, in eo qui gestaturus est Imperatorem fortitudinem, in Imperatore ipso sapientiam desiderari, quod in reliquis rebus peccatum facilius quām in bello corrigi posfit. Nā recte dixisse fertur Lisimachus, in eo quem bis delinquere non posse. Ita tam in pace quām in bello seniorū prudentia principatum tenet: sed rursus tamē animi iuuenum, magnos Principes & magnas Resp. facere solent, si

Bb 2 pruden-

## DE R E P V B.

prudentia seniorum gubernentur. Considerandum igitur à moderatoribus ciuitatum est, qui sint nobis hostes, aut esse possint, & quibus potissimum auxilijs sint freti. Rectè nanque Gabrias summus Imperator dicere solebat, eos optimos esse Duces, qui res hostium notissimas haberent. Curandum autem ut nostra saltem paria sint, vel si fieri potest superiora, illud ne vincamur, hoc autem ut etiam inimicos nostros vincamus. Quapropter nostræ copiæ diligenter cum hostibus cōferendæ milites, instrumēta, reliquaq; præsidia belli. In militibus numerus quidem est perpendendus, præcipue tamen virtus. Si cætera cuncta paria sint, præstantior est exercitus copiosus; sed tamen videmus Darium ab Alexandro, à Mario Cimbros, & maiorem exercitum à minore tam nostris temporibus quam antiquis frequenter esse deuictum. Illud autem in exercitu magno gravissimum incommodum, quod ad eum alendum multo cōmeatu, plurimis pecunijs est opus, quas etiā diues Resp. diu suppeditare nequit. Iam cùm & que nō omnes ad quævis negotia sint accommodati, sed natura, vt has res vel illas, sic hos aut illos homines, hoc illōue tempore producat, quos etiam vitæ consuetudo meliores reddat vel deteriores, proprieđum est, quam multos quamq; bonos habeamus milites, vt si sint hostes numero superiores, nos eum multitudine, si nobis vtraq; superiores sint, nos etiam vtranq; vel reliquæ nostris vel externis præsidij compensemus. Id autem cuiusq; Reipub. vehemēter interest, vt eos habeat sibi con federatos populos, cum quibus hostibus quibusque facile par esse queat. Nec tantum videndum est quam multos habeamus quamq; bonos milites, sed sedulò curandum, vt institutis eos continuò reddamus meliores, vt eos ad fortitudinem ac ad omnem virtutem exerceamus. Quis enim ignorat, quin victoria diuina quædam res sit,

quam

## LIBER QVARTVS.

95

quam consequi nunq; debeant ij, quibus ob scelera Deus sit infensus. Videmus igitur optimos quosque ea semper esse facilimè potitos. Legimus in historijs frequentissimè multos fortis viros à paucis, nec adeò bellicosis, esse superatos. Quid ita? quia sic Deo visum est, qui vt omnis fortitudinis præcipuus author est, sic alios animosos, timidos alios reddit, interdum gladios robustis hominibus excutit, interdum timidorum manus ad ictum confirmat. Verissimum igitur est illud apud Xenophontem, victoriam, nec multitudine nec fortitudine parari, sed qui freti Dijs immortalibus animosijs hostes invaserint, eos in prælijs esse superiores. Inter verò cæteras belli virtutes continentia præcipuum aliquem locum tenet: nam vt inquit Cicero, fortis sunt, non qui faciunt, sed qui iniuriam propulsant. Multi relictis alijs suis officijs ad temporarium bellum accinguntur, tantum studio latrocinandi, qui quidem sæpe non tantum parum viles sunt, nimirum in exercitati, sed etiam afferunt non exiguum detrimentum. Nam præter alia mala, inter suos dilsidia & seditiones frequentissimè serūt, & obseflos iniuriarum metu sæpius ad ultimam defensionis pertinaciā cōpellunt. Quapropter recte magnus ille Dux Africānus dicere solebat, Romanos non tantum fortitudine, sed plus in bellis continentia valere: recte quoque Xenophon, qui magis à militibus ducem, quam hostes timeri deberet dicit. Videmus itaque & à militibus optimis semper emptos minimò sanguine triumphos, & ijs in bellis, in quibus milites admodum corrupti sunt, sæpe maximis difficultatibus laborari: ad rapinas enim multi proficiscuntur non ad fortitudinis exercitationem, & ideo potius ad calamitatem quam ad victoriam. Quod non eueneret, si continentia maximè valerent, virtute vt vtilissima, ita difficilima in bellis: oportet autem vt se prius q; alios vincere sciat, is qui vere fortitudinis gloriam est adsecutu-

B b 3

rus.

## DE REPVB.

rus. Necessaria quoq; est insignis patientia preferendi labo-  
ris, & fortitudini vehementer est affinis: nisi quod illa no-  
vincitur, fortitudo verò semper etiā vincere conatur. Sed  
iustitia semper postrema victoria est, quemadmodū Hesio-  
dus recte scribit, quoniam vt morbus corpori, sic iniustitia  
rebus omnibus præsentaneum interitum affert. Quod au-  
tem in singulis etiam prudentia opus est, ex eo satis con-  
stat, quod sine ea nec milites, nec alij vlli recte sunt in offi-  
cio suo versatur. At quod milites pietate quoque debeant  
esse prædicti, vel hinc intelligere licet, quod nullum vereiu-  
stum bellum dici potest, quod non ad vnam Dei gloriam  
suscipiatur: huc omnis bellorum apparatus comparandus  
est, huc omnis res militaris instituenda: mirum est quantū  
animus posuit bene formatus, hoc est vere Christianus, per  
media vulnera, per acerbissimas mortes semper ad veram  
gloriam recte contendit, ac infracto robore mentis per-  
fert ac perrumpit quascunq; difficultates. Nescit vlo mo-  
do timere generosa virtus, nequit impediri, quo minus ar-  
duo quodam animorum motu ad fastigia rerum maxima-  
rum perget. Nulla enim bonis viris rei bene gerendæ satie-  
tas esse potest, quemadmodum Herodotus scribit. Habeat  
igitur milites animum ad omnem virtutem, & etiam ad bel-  
li disciplinam exercitatum: nemo enim quicquam recte fe-  
cerit, in quo non sit antea diligenter versatus: & etiam usu  
pericula multò minus perturbare solet. Ars certè indu-  
stria sapientiaq; , præsertim in ducibus, longè maximum ad  
victoriā momentum tenet. Consilium enim sapiēter ini-  
tum, multis sepe manus vincit, inquit Euripides, & sapien-  
tia verò multarum rerum peritiam requirit: quod quidem  
nobis pulcherrimè sapientissimus Poëtarum significare vi-  
detur, dum Achyllis nobilissimum illum clypearum depin-  
git. Quamobrem Plato meritò vult milites, maxime ta-  
men ducas, etiā in Mathematicis esse diligenter instructos:  
quod

## LIBER QVARTVS.

96

quod ijs artibus instrumenta bellica conficiantur, acies re-  
cte instruantur, vrbes expugnantur & defendantur, ho-  
stes decipiuntur & in fugam conuertantur, denique ijs  
ferme solis omnis victoria nonnunquam comparari pos-  
fit: nam etiam animorum nostrorum quædam indicia non  
contemnda continere putantur, qui cum naturæ motu  
concitari solent. Milites quandoq; calcaribus indigent, &  
quandoque potius freno: nonnunquam hostes perferen-  
ti sunt donec efferueat & consumatur. bilis, quandoq;  
sunt aggrediendi priusquam accendatur. Ingeniorum au-  
tem & temporum indicia quædam mentibus eruditorum  
hominum prudēs natura inseuit. Quemadmodum enim  
elementorum motus & tempestates, quibus locis & tēpo-  
ribus ingruent, & in quam potissimum partem vergent,  
ita motus animorum & violentos bellorum exitus, sapien-  
tibus sepe præ sagire licet. Sed harum omniū rerum ratio-  
nes alibi latius nos explicaturos speramus: illud tantum hic  
asseueramus, earum cognitionem humano generi utilissi-  
mam, & etiam in bellis necessariam esse. Certè quemadmo-  
dum nautæ ventorum & maris, ita duces animorum mo-  
tus contemnere non debent: qui quidem nec minus mul-  
tiplices sunt, nec etiam minus violenti. Cùm autem nos  
sepe tam varie tamq; vehementer, etiam eadem cùm die tū  
hora, sine manifestis causis externis sentiamus affectos, id  
quoque necessarium est populis & exercitibus euenire, vt  
interdum ab ipsa natura bellico quodam furore conciten-  
tur, interdum ignavia torporeq; teneantur: idq; esse puto  
quod duces voluntarijs quam coactis militibus vti malint:  
videtur enim illi belli & fortitudinis quodam ardore ra-  
pi. Sed perpendendum est, an audacia quam libidine potius  
impellantur: non enim dulce tantum bellū inexpertis est,  
vt est apud Pindarum, sed etiam illis qui sine prælio peri-  
culoq; militiam quandoq; sunt experti. Ii cùm tutè tam  
suorum

## DE REPVB.

fuorum quām hostiū agros depopulati sunt, & omnī luxū plenam, omnibus legum vinculis solutam vitam egerunt, ad eam liberam belli insolentiam libertissimē redire solent. Sed si res laborem & periculum subire cogat, primi sint qui fugam & suorum prōditionē meditentur. Voluntarios igitur milites diligenter examinari decet: nam si nullis laboribus & periculis propoſitis deterriti patriæ & virtutis amore, vel etiam iusto hostium odio concitantur, dignissimi sunt qui Reip. bene formatæ stipendia consequantur: si temeritate quadam & insolentia rapiantur, nō sunt tales, quales debent à bonis ducibus vehemēter optari. Dicent homines sceleratos potius periculis exponi, & hoc pacto Remp. ab ijs liberari debere. Verū in eo sāpe maius periculum est & maiores expensæ, si cùm publicè alantur, per ignauiam & scelus facile Remp. hostibus prodant, quæ fuissest à bonis militibus omnino defensa: profectò satius est eos ad alias operas necessarias compelli, aut ad aliorum conseruationem certis periculis obijci, ne si nō pereant, redeant multò deteriores. Nam etiā bonorū adolescentium animos bellilicentia corrumpi videmus, à quibus etiam contaminentur, si quæ sunt interdum, tempora pacis. Ergo milites fortes sint, & si fieri potest, reliquis quoque virtutibus sint instructi, & insuper habeat corpus ad sustinendam inediā, laborem, astum, hyemem & reliquias omnes iniurias paratum. Multi quidem ad militiā natūrā videntur, quod si verò exercitatio accedat, id profectò maximum quippam fuerit ad res maximas facile conficiendas. Oportet enim vt ad res præclarè gerendas consuetudo cum natura coniungatur, & altera semper alteram iuuet. Certè videmus in quibusdam locis quām in alijs, & hic istis, alibi verò alijs temporibus præstantiores homines ad hæc aut illa negotia prouenire. Nam tametsi plurimum viſus in omnem partem valeat, à natura ferme proficisciatur

& pro-

## LIBER QVARTVS.

97

& promouetur. Ita quædam gentes astu, quædam audacia, plurimū naturæ quodam instinctu valent, aliæ verò planè deiectos animos habent. Itaque tam Græci quām Romani se vehementer iactare soliti sunt, quod inter Scythas & Africanos positi, virtutes amborum, sine vitijs tenerēt, ab illis audaciam sine simplicitate, ab his calliditatem sine pusillanimitate. Alteri enim sanguinem profundere ventrentur, cùm eum perquām habeant exiguum, alteri cùm abundant sanguine vulnera quævis facile contemnunt. Verū hæc omnia consuetudo non mediocriter vel iuuare potest, vel immutare: quod quidem ex ijs gentibus facilè cognoscere licet, quæ ingentem illam imperij gloriam nunc penitus vel amiserunt vel occuparunt: ergo plurimū hīc natura, plurimū quoque consuetudo valet. Vbi verò vna cōiungitur egregiè cum altera, tum prouenit illud quod nos maximè desideramus: quanquam admodum rarum esse solet, quemadmodum & reliqua cuncta quæ excellunt: prouidendum tamen est, vt quām frequentissimū proueniat in nostra ciuitate. Proutendum est vt, quatenus fieri potest, tales milites sint, qui si res postularer posint etiam esse duces. Tales fuerunt illi, qui cum Gedeone pugnarunt, qui cum Iasone, Hercule, Aenea nauigarunt, & alij quicunq; res maximas gesserūt. Cùm itaq; tanta naturæ cōsuetudinisq; vis sit, præsertim si pariter ambæ conspirent ad eximiam virtutem, maximè laudandum est virtus Aegyptiorum & aliorum nonnullorum institutum, quod etiam principes ætatis nostræ sunt imitati, qui aptissimos quosq; ad perpetuā belli disciplinā alebant, quod fieret, vt nullis alijs negotijs impliciti, huic vni arti studerēt, & semper essent ad defendendam & augendam Imperij sui dignitatem parati: quod quantū valeat ad res bene gerendas, frequenter veteranorum certamina cū Tyronibus satis declararunt. Diuites potissimum, qui alioqui nihil

Cc agunt,

## D E R E P V B.

agunt, cum vniuersis familijs debuerant semper ad bellum esse parati: sic enim fieret vt Resp. pecunijs minùs exauriatur, & ipsi verè nobiles essent, & hæc etiam res non parum ad belli celeritatem cōferret, quæ quidem plurimum advictoriā potest. Quanquam enim oportuna cunctatio nonnunquam profuit, vt in Fabio, tamen legimus Alexandrum magnum non cunctādo totum orbem viciisse. Quapropter rectē Demosthenes dicit, quod is qui bellum reūtē gesturus est, occasiones non sequi, sed præcedere debet. In externē regionis expugnatione celeritas, in propriā defensione cunctatio valet: nam foris commeatus & reliqua præsidia belli sæpius deficiunt quād domi. Cunctationē intelligo non instruendi, sed gerendi belli: nam oportet Remp. etiam tempore pacis esse semper egregiè paratam: & ideo preclarè fecerint illi, qui alioqui nihil agunt, & etiam reliqui ijs temporibus, quibus in otio futuri sunt, si rebus sese bellicis exerceant. Ita fiet, vt externis militibus Resp. minùs habeat opus. Si tamen diues, fertilis nec satis habitata regio fuerit, & hostes nos viribus superent, satius est etiam externis vti, si nec diues nec fertilis, & tamen populosa, potius vtatur Resp. militibus suis: externos enim alere non potest, & suos ad bellum diligenter instituere debet: deinde multò fideliùs & animoſiùs pro suis parentibus, vxoribus & liberis, quād pro alienis omnes bellum gerūt: & hinc est quod ab alienigenis rarò ab indigenis frequenter res magnas esse cōfēctas videamus. Si nec bene est habitata & sterilis, hostesq; potentes habet Resp. profectò planè desperata eius salus est, nisi fortassis tam multos socios & externos defensores habeat, aut natura vel arte tā bene munita sit, vt hisce præsidij hostibus suis resistat. Imprimis quidem procurare debemus vt aduersarios nostros, quibus in potestatem non redactis felices esse non possumus, superemus: id si præstare non possumus, vt saltem aduer-

sus

## LIBER QVARTVS.

98

sus eos salutem & dignitatē nostram tueamur. Quod si vicini nostri nobis essent amici morumque bonorum similitudine cum Repub. nostra coniuncti, nunquam aliquo bello nobis esset opus, sed sāpe tales sunt, qui tranquillitatem nostram libenter perturbent, & longē optabilius est semel debellare, quād continuis bellis iniquissimè vexari. Itaque præstantior & melior Resp. qualem nostram esse cupimus, & quietate & utilitate communis uadente, tamdiu prælium acerrimum gerat, quoad hostium vires adeò fregerit, vt non amplius periculum vehemens pertimescat: ita tamen vt consideret diligēter, quid commodè fieri sine maiori malo possit, & non tantum suam, sed interim etiam utilitatem victor Reip. quæ vītricis tanquam pars est futura, semper spectet: quoniam in omnibus actionibus nostris optimus aliquis est proponendus finis, & omnis omnium felicitas q̄ latissimè promouenda, quanq; potius eligere suam suorumq; felicitatem potest: nam etiam Apostolorum principes inter se pro salute suorum contendisse videmus. Hic tamē & alibi semper mente tenere debemus, utilitatem veram à iustitia cōmuni nunquam separari. Hec autem postulat vt animus corpori reliquisq; bonis omnibus externis anteponatur. Nihil igitur vñquam committemus, quo virtutem vel nostræ vel alienæ Reip. minuamus, sed bonos vicinos nobis quād amicissimos, malos autem q̄ similimos, hoc est, quād optimos reddemus: quod quidē fieri nequit, nisi superiores illis simus, siquidē natura comparatum est, vt nunquam aliquid, nisi à fortiori mutetur. Verū illud imperium nostrum, auget nō minuit eorum dignitatē: ergo virtutis causa bellum suscipi potest, virtutis inq; cūm nostræ tum Reip. vicinę, nō tamen virtutis cuius uis, sed tantum alicuius insignis. Quemadmodū enim in ciuitate quisq; se rebus alienis facile miscere non debet, nisi propter magnum aliquod Reip. bonū, ita nec vna Resp.

Cc 2 fe ne-

## DE REPVB.

se negotijs alterius, in quam ius non habet, inserat, nisi quatenus euidenter vniuersa vel Christiana vel humana Respub. iuuetur, vt in ijs rebus, in quibus agitur de religione, vel iure gentium & naturæ. Interest autem vniuersæ Reip. humanæ, vt quisque teneat, quod adeptus est omnium hominum consensu, & etiam vnicuique sui conseruandi necessariam cupiditatem ipsa natura dedit. Si vero alioqui dignitatem nostram tueri non possumus, non video cur belli gerendi potestas nobis non concedatur. Sed si tantum externam aliquam commoditatatem sectemur, eo solo prætextu non possumus alios ijs bonis spoliare, quæ iure gentium sunt adsecuti, nisi contra nos omnium animos provocare, & iustitiam communem violare velimus. Non igitur propter quamvis utilitatem, sed vt nostræ Reip. dignitatem tueamur, & insignia finitimorum vitia tollamus, iure bellum à nobis suscipi potest: & hinc est quod aduersus hostes fidei Christianæ, modo spes victoriae sit, fuerit semper laudatum. Quod si dicat nullum bellum esse iustum, saltem inter Christianos, qui semper concordiam, amore, & vnum felicitatis finem sibi proponunt, inter eos nunquam bellum esse posse, nisi fortassis æquitatis aliqua specie decipiatur, raro vero decipi eos, qui totos animos ad pacem & indiuisum in Christo consensum adhibent, & semper consulunt viros prudentes, sanctos & tranquillitatis amatores. Ego responderim, etiam sapientissimos & optimos, cum diuersa sibi proponerent, interdum inter se contendisse: rationes enim rerum nonnunquam, immo vero frequenter obscuriores sunt, & affectus animorum magis multiplices & violenti, quam ut etiam à viris prudentissimis, vel illæ satis intelligi, vel hi ex voto possint gubernari. Si autem etiam in optimo rerum statu, cum optimi viri Reip. præsunt, non possumus omnino bellorum periculis carere, quid de hoc nostro tam perditio dicemus, in quo

tam

## LIBER QVARTVS.

99

tam pauci pacificam Christi legem sequuntur, in quo plæriq; dissidia captant, vicinorum yaſtitatem & euersionem tranquillitatis communis. Certè qui nulla æquitatis societate teneri volunt, iusto bello cōuinci; & ad æquitatis observationem cogi possunt. Deinde etiam ad exercendā fortitudinem, quæ tamen ab æquitate non vult separari, bellū nobis vtile fuit. Nam otio nimio, quod diuturna pax afferre solet, cum animorum tum corporū robur frangitur, quemadmodum ex ijs gentibus, quæ diu militiā intermisserūt cognoscere licet, & insuper femina seditionis, quæ multo plus periculi quam bellū proferre solent, per vniuersam Remp. in pace fertilissime crescunt: & iccirco P. Nasica recte dicere solebat, Carthaginem non tantum non periculosam, sed etiam utilem esse Romanis: videbat enim laboribus occasionses gloriæ soueri, & ab externis malis ciuiū animos coniungi. Ita ad maiorem virtutis exercitationē quoque perpetuos religionis hostes Deus nobis dedisse videtur, in quos vtinam potius quam in Christianos tandem, & serius quam oportebat, omnes arma nostra cōuertamus. Nullam sane quietem agere debet hæc humana natura, sed assiduis motibus ad aliam præstantiorem ferri. Hæc & alia multa pro bello dici possunt, quæ recensere non est neceſſe. Satis est enim quod intelligamus, etiam si per se nunquam bellum optabile sit, nonnunquam tamen illud à viris bonis esse suscipiendum. Igitur oportet Remp. bene formatā etiam ad bellum esse diligenter instructam, vt non tantum intus omnia salutaria sint, sed etiam externas malorum causas propellat, & iniustā vim iusta vi auertat. Sed de his iam satis. Quoniam autem in felici Rep. non hanc temporariam vietam tantum, sed potius æternitatem ipsam spectari decet, necessarium est vt in ciuitate quoque sancti quidam viri Ecclesiastici, qui inter cæteros præcipue rerum diuinarum curam gerant, & ad earum cognitionem & amorem ciuium ani-

mos

## DE REPVB.

mos excitent: iij cùm mentes illas æthereas proximiùs imitari debeat oportet vt purissimis animis, sacris illis maximis officijs fungantur, nec interim prophanis yllis negotijs occupentur. Diuina siquidem tam ardua sunt, vt totos animos sibi postulent, nec libenter humanorum commercium yllum admittant. Itaque videmus à sapientissimis & optimis viris antiquitus leges esse datas & in posteritatis pium consensum prorogatas, quarum obseruatione corporis & externarum rerum impedimentis nos liberaremus, præcipue cùm res arduas & diuinias essemus obituri. Liverò qui sacris officijs publicè destinati sunt, id omnes proprium habere debent, vt in ijs quæ pertinent ad veram pietatem longè reliquis hominibus antecellant. Nam cùm in animos hominum pietatem & omnem virtutem ipsi præcipue debeat instillare, cumq; similitudinem suam quandā omnia libenter producant, & causa semper esse debeat præstantior effecto, quanquam interdum in hominibus excellens doctrina sit, cui facta non respondent, quo facilius voti sui compos fiat, cum reliquis virtutibus semper postulat coniungi. Ergo religionis ministri non tantum eruditio ne, sed etiam alijs virtutibus eximiè sint instructi, & suppedetur ijs etiā omnes occasiones quibus in officio suo melius versentur: occasiones quoque vitiorū illis prorsus adimantur, quæ in his rebus humanis & esse plures & facilius admitti videmus. Cùm itaque res diuinæ tranquillos animos desiderent, rectè constitutum est, vt ij qui in illis præcipue versarentur, & homines reliquos ab istis perturbationibus ad serenam virtutis vitam reuocarent, cùm haberent ea quæ necessitatibus eorū satisfacerent, quò pietati, (quæ profectò totam métem & voluntatem ab eiusmodi viris exposcit) magis integrè seruirent, rebus humanis minùs essent occupati, quæ quidem nos à diuinis auocare solent. Quod cùm non ignorarent quidam alijs sapiētiores,

quo

## LIBER QVARTVS.

100

quò possent inconniuentiùs inspectioni rerum cælestium vacare, ab hominum tumultib; & cōsuetudine sece exemerunt, & tum natura tum exercitatione, præcipueq; numeris auxilio longè robustissimi contra vitia facti, tandem summo cōfilio libertatem cuni tali seruitute commutarūt, quæ vel non esset verè seruitus, cùm voluntas imperet potius q; subiectatur, vel ijs saltē qui parere possent, libertate multò præstantior esset. Certè necessarium est in tantis periculis, vt admodum cauti simus & occasiones omnes malorum diligēter fugiamus, & vt ijs quisq; tantò minùs impediatur, quanto sanctius officium habet. Quoniā autem in negotijs sacris etiam multò magis quam in alijs est exactus ordo seruandus, oportet vt hīc alij quoque sint alijs inferiores & superiores, & vt hi non tantum illos dignitate, sed etiam pietate antecedant. Nam ea quæ sunt paria, cū eiusdem conditionis sint, nunquam mutuum officiū egrediè præstare possunt: vt si in corpore nostro quælibet pars vel pes, vel manus, vel vnum aliquod aliud membrum sit, equidē officio suo singula sibi tantum & sine mutuo commercio fungentur, atq; erunt multa generis eiusdem, quæ tamen non conspirent in vnum: nam quæcunq; bene coalescunt, necessarium est vt mutua societate teneantur & officiorum vicissitudine, quæ in accipiendo dandoq; sit occupata. Si vero quodq; membrum tantum redderet quantum acciperet, periret rursus pulcherrimus rerum ordō, per quem in vnum plura non æquabilitate sola, sed potius superioribus & inferioribus numeris coniunguntur: non enim quemadmodum quæ pretio venduntur, sic & hæc officia sacra communiquoq; mensura possunt estimari, & etiam si possint estimari, compensari tamen nullo modo possunt. Nam is qui initiatur, vel baptismate, vel alia gratia, quomodo posset vñquam par beneficium referre. Hæc enim omnia, non hominum, sed Dei potius sunt, qui his

quan-

## DE REPVB.

quandoque instrumentis ad res gerendas, quām alijs vti  
mauult: id si homines seditiosi Christianæque Reipub.  
perturbatores intelligerent, nec tam ad virtutes humanas,  
quām ad gratiam diuinam respicerent, de multis rebus ali-  
ter iudicarent, nec propter hominum mores contemeret  
dignitatem, quibusdam hominibus singulari beneficentia  
Dei concessam. Oportet sanè vt hīc etiam alijs p̄fistent &  
imperent, alijs gratiam Deo Deiq; ministris referant & ob-  
sequantur, & omnia propter vnum omnium honorū au-  
thorē fīat. In eo verò posita vis omnis virtutis est, vt quisq;  
suos ordines strenuè defendat, & omnia referat ad vnum,  
cui cuncta debet accepta: quod si diligenter faciat, eo ipso  
felicitatē proculdubio cōsequetur. Cūm enim à Deo cun-  
cta teneamus, quibus illi seruire possumus, tamen ijs ipsijs  
præmia victoriæ nobis commeremur: adeò magnum est illi  
militare, qui subsidijs nullis indiget, & plenissimus est om-  
nium honorum, quoniam omne ministerium in seruorū  
libertatem & felicitatem redundat. Quilibet igitur nostrū  
sedulò rerum & personarum decentem ordinem seruet,  
nā sine eo nec Resp. gubernari, nec natura cōstare, nec vla-  
ratio in hominū mētibus esse potest: vnde facile cognosce  
relicet, quales illi sint, qui eum ordinē de medio tollunt.  
Quæ verò quodā ordine constant, necessariū est vt habeāt  
aliquid primum & secundum, & aliquid tertium & vlti-  
mum. Sed cūm hæc omnia duobus perfici videamus, spiri-  
tu & corporatura, spiritus proculdubio principatum te-  
net, quemadmodum ex historijs sacris est manifestum, in  
quibus legimus à viris diuinis principes suam autoritatē  
obtinuisse. Perturbatissima verò foret hac in parte nostra  
Resp. quām summum quendam ornatum cōtinere decet,  
si quisque suo arbitrio sentiret & vixeret, nec nullius pot-  
estati obtemperaret, nec credibile est in omnibus alijs ordi-  
nem desiderari, in rebus autem sacris summam quandam  
pertur-

## LIBER QVARTVS.

101

perturbationem, aut necessē esse, vt superiores quidē sint  
in religione, sed eos præ cæteris nullam habere debere po-  
testatē: quod certē nulla ratio patiatur. Quin autē ibi sūm  
inus tumultus futurus sit, vbi quisque suis opinionibus  
æstuat, nec vlo consilio regatur, neminem nostrum ambi-  
gere credo. Non sine causa profectō nobis principes dati  
sunt, quorum animus, quantū ad Remp. attinet, Dei con-  
silio regatur, quamuis interim ipsi suis vitijs laborēt. Cūm  
enim volūtatis nostræ latebræ, quibus virtutes & vitia con-  
tinentur, tam ignotæ sint, necessē esset in summis tenebris  
rerum nostrarum versari nos, qui tamen lucē veritatis cer-  
nere videmur, si ab hominum virtutibus, & non à potesta-  
te misericordiaq; Christi negotia sacra penderent. Multa  
sunt erga homines Dei beneficia, pietas, sapiētia, potestas,  
aliaq; in numera, quæ nō omnibus semper hominibus om-  
nia conceduntur: quod nisi hæc quæ iam diximus essent  
vera, nec Dauid tantopere fuisset Saulem veneratus, nec  
Paulus tam diligenter monuisset, vt etiam malis dominis  
obtemperaremus. Oportet profectō tam hæc quām alia  
cuncta, modò bene constituta sint, pulchrum quendam  
ordinem seruare, quem si quis vel dicendo vel intelligen-  
do non sequatur, fallitur & mentitur: Si verò cūm eum  
intelligat peruertere velit, suum quidem locum & di-  
gnitatem amittit, nec vñquam tamen (vt id quod frequēti  
mentione dignum est sèpius repetamus) infractum ordi-  
nem prouidentiæ diuinæ violat, quo tam mali quām bo-  
ni, singuli suis, illi nimirum miseriārum, hi felicitatis locis  
sunt distributi, & etiam ytriq; in suos ordines diuisi, sic vt  
æternitatis illius, & huius temporarij simulachri princeps,  
à superioribus ad inferiores beneficia descēdere velit, quo-  
rum tamē omnium ipse sit vnicus author. Ita honorū con-  
sensu & voluntate Dei facti sunt gradus dignitatū in reli-  
gione, in quibus, vt diximus, id diligenter seruandum est,

D d

vt quan-

## DE REPVB.

vt quanto quis superiorē tenet, tanto quoque superior sit virtutib⁹ reliquis & præcipue pietate; & pariter tamē omnes suis viribus ad illud supremū contendant. In omnibus autem officijs totius Reip. diligentissimē prouidendum, ne plures vel etiam pauciores quam oporteat in eodem versentur, vt nec nimis graue, nec etiam nimis leue pōdus quorundam ciuiū humeris imponatur, sed singuli, non quidē paribus, & totis tamen suis viribus onus Reip. sustentent: alioqui quorundam ignauia, reliquos nimia grauabit, & nimia moles grauatos cum magno Reip. damno prosternet: si videlicet multi in otio, vel minore quam oporteat negotio viuere, & alij impares suis viribus sarcinas sustinere velint. Ergo quilibet suum ordinem diligenter obseruet, & quantum potest conferat ad utilitatem & felicitatē communē. Totius autem ordinis, qui seruandus est in Rep. non tantūm in vniuersa natura rerū, verumetia in nobis ipsis egregiā similitudinē cernere licet: nam, vt inquiūt Philosophi, humana p̄eclarē formata Resp. diuinā illā absolutā proximiūs imitatur, cuius tā magnus iste mundus, quam parvus (homo nimirum) proxima quædam sit imago. Cūm autē secundum Platonem triplex animē nostrā portio sit, quarū præcipua in capite collocetur, vnde tanquam è specula quadam omnes cūm internas tum exter nas iniurias prospiciat, hæc vis planè diuina cæloq; proxima, circa res æternas versatur, ad earum similitudinem humana moderatur, & ita sui perfectionem per Dei misericordiam demeretur, quam etiam post experimenta miseriarū tandem euidētiūs sentiet. Hæc vjs instar speculi purissimi obuerfa clarissimæ veritati, & etiam amoris sancti feroce cum ea planè conglutinata, imagines rerum eternarū concipit & verissimas ideas: sed inferiores phantasie fluctus, nec satis perspicui, & varijs turbulentisque ventis agitati, ferme sunt nobis impedimento, quo minus cælestes illas effigies

## LIBER QVARTVS.

102

effigies dilucidē cernamus, vnde fit vt frequenter in variis errores incidiamus: & tamen mens ab origine veritatis characteres insculptos continent, & eos oblitteratos benevolentia Dei continenter illistrat, ad quorum similitudinem res istas humanas expendamus & gubernemus. In pectore nostro pars est illa biliosa, fortitudinis quidem potissimum instrumentum, cui tamen ex corruptæ naturæ nostræ seminibus innumera vitia soleant adnasci, quæ vel actionem impedian, vel ultra modum rationis impellant, ira scilicet, indignatio, inuidia, crudelitas, temeritas, & ex altera parte, pusillanimitas, metus, ignauia, quæ profecto, quoniam in altum sese facilimè tollunt profundasq; radices agunt, semper præscindi diligentissimē debent & extirpari. Sub præcordijs posita tertia nostri animi pars est, quæ nobis alendis & propagandis seruit, in qua quidem omnis etiam excessus & omnis defectus est sedulo curādus, quoniam vterque periculosus & perniciosus est, & ex homine multiplex monstrum facit, libidine, voracitate, luxu, alijsq; turpisimis partibus defœ datum. Itaq; voluntati, vel summe potius animę nostrę potestati, horum omnium per misericordiam Dei summum imperium est concessum, quę si officio suo fungatur, eo procul dubio cōparet magna presi dia consequendę felicitatis. Similis ratio in bene instituta Repub. est, in qua sacerdotes semper in diuina luce versantur, & reliquis hominibus præcipuas agendorum ratios demonstrat, à quibus diligenter prouidendum est, ne splendor æternæ sapientię tenebris humanorumphantasmatum & affectuum obscuretur. Princeps autem, tanquam voluntas, summum rerum omnium arbitriū tenet, in quo maxima rerum momenta sunt collocata: qualis enim princeps est, tales fieri solent reliqui ciues. Oportet igitur vt semper prudentiū cōfiliū veluti mentem sequatur, & secundum rectam rationem alios rerum distri-

Dd 2 butores

## D E R E P V B.

butores, alios scelerum vindices, alios rerū bellicarum gubernatores faciat, qui nimis externas iniurias speculentur ac repellant, alios qui Respub. alant, qui partim etiam in utilia excludant, partim utilia conuehant, ac necessaria conseruent, quos nec nimis efferri, nec infra modum confistere patiatur, sed rectam semper officij sui rationem obseruare cogat, sic ut omnes egregie tanquam eiusdem corporis, conspirent atq; consentiant in unam totius Reip. salutem. Principes igitur, & qui primum aliquem locum obtinent, potentiam cum eximia quadam prudentia debethabere coniunctam, vt & singulis quid facere oporteat prescribere sciant, & infracte quae prescripserint imperent obseruari. Tales viri quales iam diximus esse debere principes, ut alijs rebus omnibus bene gerendis, ita legibus etiam intelligendis & constituendis sunt accommodatores. Quodiam autem genera bonorum & ciuium differentiā ostendimus, & in vniuersum quasdam vitę leges proposuimus, nunc breuiter quales deceat esse leges omnes dicemus, & ubi postea quasdam mutandarum Rerum publ. causas attulerimus totam hanc orationem nostram finiemus. Definimus autem leges, publica vitę precepta, quibus nos omnes obtemperare semper oportet: siquidem commune bonum & æquitatem ipsam perpetuò spectant, ac ab eo qui iubendi & iussa exequēdi potestatē habet, proponuntur. Quemadmodum autem reliquę omnes artes ex suis, sic ex eiusmodi præceptis magna quædam ars colligitur, quam earum rerum periti ius appellant. Possumus itaque definire ius, præceptionum collectionem, quæ vt evidentem utilitatem Reip. continet, ita vel omnium vel plurimorum vel præcipuum, eorum scilicet qui potestatem hanc habet, voluntates & expressas sententias in efficacem promouendæ felicitatis communis autoritatem coniungit. Quo verò firmitiora sint hæc omnia Reip. negotia, non simplicibus, sed varijs

## Leges.

## LIBER QVARTVS.

103

varijs legum nexibus sunt constricta, inter quos ille potenterissimus est, quo unumquodq; compellitur ad operationē consentaneam primæ suę nature, quæ quidem sola, si incorrupta mansisset, nos felices reddere potuisset: sed cum iam à nobis non mediocriter labefactata sit, ideo fuit alijs insuper legibus opus. Quandoquidē autē multæ cum intelligentiā tum agendi rationes tam evidentes sunt, vt eas nemo qui mentem habet ignorare possit, quas Philosophi cum axiomata tum theses appellant, inter eas quæ communem temporum & regionum omnium felicitatem continent, plurimorū aut omnium consensu, qui recta ratione vtuntur, ius gentium effecerunt, quod quidem vt inquit iurisconsultus solis hominibus, illud verò naturale reliquis etiam omnibus est commune. Sed plurima minora obscurioraq; sunt, quām vt ab omnibus certi, vel definiri possint, & cum certe debeant esse publicę constitutiones, negotia quædam in vtramq; partem rationes probabiles habent: hæc temporum, regionum & ingeniorum varijs conditionibus implicantur, & tantum ab ijs qui acutissimè vident, nempe sapientibus, discernuntur. Hinc autem magna morum & legum varietas est in diuersas Resp. introducta: hinc in singulas multorum hominum congregations quædam, immo multa frequenter incidunt, quæ vt cum alijs communia non sunt, ita proprijs legibus habeat opus: ex ijs autem cōpositum est ius, quod nos ciuale vocamus. Hæ verò leges ciuiū omnium cōsensu, & eorum authoritate qui ad id ipsum à ciibus potestatē habet, promulgantur, & quandam vim cōtinent, qua fiat quod consentaneum est rationi, quam vim gentes dispersæ constituere non potuerunt. At quoniam homo præcipua sui parte diuinus est, & etiam hic in ipsa tanquam æternitate versatur, superiores illas beatæ Reip. leges præcipue sequi debet, quæ quidem præcipuum & unicum bonarum rerum finem, adeoq; verā

D d 3

felicitas

## DE REPVB.

felicitatem cōpleteuntur. Nam quod à summo bono cuncta suam originem habuerint, & ad illud ipsum iterum suis gradibus reuocentur, etiam ex Philosophis & ratione rerum potest esse satis manifestum. Quod autem eius cognitio, quantum nobis opus fuit, sacris literis sit descripta, nemini nostrum dubium esse potest. At qui si tum deum recte quid facimus, dum quid faciendum sit exacte cognoscimus, & præcipuam eius causam animis nostris teneamus, cùm illud summum bonum, & principium & finis, vt omnium aliorum, ita & totius Reipub. sit, & per leges illas singulari Dei beneficentia nobis datas, præcipue demonstretur, fuerit nobis omnibus in earum inquisitione & interpretatione diligentissimè versandū. Ita in quatuor genera leges diuisæ sunt, inter quas omnium præstantissimæ diuinæ: & harum singulæ rursus duas partes habent. Aliq; iubent, vt hominum & rerum iustæ analogiam nunquam violemus, aliæ verò vt etiam eam alacriter promoueamus, & quiescendo dignitatem cuiusquam nunquam imminui patiamur. Primi iubent, vt non facimus aliquid quod fuerat omittendum, secundæ, ne quod faciendum fuerat omittamus, sed vt vbiq; decentem ordinem obseruemus, nec vñquam officium nostrum deseramus, si nobis consultum esse velimus. Leges enim cuique quod debetur distribuunt, & bonis quidem præmiū, malis verò pœnā: in omniibus personis, rebus & negotijs eam æquabilitatis mensuram, de qua iam antea multa dixisse videntur, si quidē bene positæ sint, exactissimè seruant, nunquam à rectissimo iustitiae tramite vel latum digitum deflectunt: nam in æquitate purissima totam suam essentiam habet, sine qua nullo modo cōsistere possunt. Cùm enim recta ratio vita legum omnium sit, & cùm leges dona deorum immortalium sint & inuēta virorum sapientū, pernicioſis constitutionibus tā speciosi tituli conuenire non possunt.

Tametsi

## LIBER QVARTVS.

104

Tametsi iustitia diuersis téporibus, locis reliquisq; circumstantijs diuersa videatur, necessarium tamen est, vt ipsa sibi planè cōsentiat, & vt leges inter se omnino cōcordes sint, si cū illa cumq; natura & ratione conuenire velint. Quapropter illi vehemētissimè se proculdubio decipiunt, qui suis opinionibus & moribus, cū interim de rebus illis summis humanum ingeniu tam diuersa sentire cernamus; quemq; viuere posse censem, quanquam, si non veris, fortasse probabilibus quibusdam rationibus in eam sententiam adducti videntur. Nam dūm cōsiderarent diuturnos mores longo multorum hominum iudicio comprobari, quos verisimile sit meliū omnes mature, q; singulos, vt minūs prudentes, ita semper nouandarum rerum studiosos, repente iudicare, cùm etiam animaduerterent surimam hanc rerū omnium varietatem, quæ plurimum confert ad exornationē operis totius, nec illam quidem in diuersis solūm, sed etiā in eiusdē generis mundi partibus, in corporibus & instrumentibus humanis, existimarunt nos illud discrimē in linguis, in vestibus, in mensis & in reliquis posse moribus imitari. Deinde cùm rerum cognitione partim natura ductu, partim vſu & experimentis fiat, quæ cum locis & temporibus differre solent, inde cuique suæ communis sectæ defensionem posse probabilem atque iustum videri putarunt: communis inquam, nam singulares, vt temerariae ferme sunt & solido fundamento carent, ita quemadmodum in natura semper fieri videmus, & ipsi, veluti etiam omnes qui vel mediocris ingenij sunt, protinus communibus oportere cedere iudicarunt. Iis autem singulæ gentes moribus libentissimè viuunt, ad quos potissimum impelluntur sui cæli soliq; contemperatione: mores etiā vſu longo confirmati, non tantum innatam proclivitatem confirmant & semper ulteriū prouehunt, sed etiam ipsi vel soli naturæ motum, quantumuis promptū, səpius impediunt, repre-

## DE REPVB.

reprimunt, nosq; penitus in diuersum agunt. Magna profecto vis consuetudinis est, & magnum est etiam rerum omnium discrimen, sed tamen, si recte consideremus, necessarium esse videbimus, vt quemadmodum iam dicebamus, omnia planè conueniant in vnum, & vt ad vnū fcoli citatis finem, ijsdem legibus omnes ducamur. Homines omnes nunquam membris omnibus similes sunt, verū omnes continent speciem ipsam humanam: id etiam in ceteris omnibus cernere licet, quæ tametsi partibus omnibus non sint paria, tamen semper in vnam quandam figuram componuntur, cuius adumbrationem absolutam, non singula perfectissimis lineamentis, sed omnia simul, non quidem omnibus, cùm hīc nihil sit profectum, sed pulcherrimis suis partibus proximè reddere, facile videbitis, qui quid in quoq; sit optimū recte colligere norit. Itaque magnus ille Crotoniates artifex, multas formosissimas pullicas adduci iussit, ex quibus omnibus, quod in singulis pulcherrimum esset, imitaretur, cùm absolutissimā quandam imaginem esset facturus. Id ipsum etiam in opinioribus & moribus nostris obseruandum est, vt si verè homines & finis ad quem facti sumus participes, hoc est facilis esse velimus, quam proximè semper referamus absolutissimam quandam formam humanam, quam quidem non sumemus ex singulis istis monstrosis hominibus, qui sunt fœdis asinorum, leonum, alijsq; brutorum partibus deformati: nam quandoquidem nobis hominis perfecti species proposita est, & eorum etiam, qui ad eius imitationem proximiū accesserunt, ineptissimum fuerit, si nostros oculos ab eius exemplaris consideratione deflectamus: imò quatenus deflectimus turpitudinem & infelicitatem nostram accersimus, cùm quicquid habemus boni totum illi debeamus. Ergo necessarium est, vt ad eius vnius emulationem cogitationem nostrā omnem & vitam compona-

## LIBER QVARTVS.

105

ponamus, modo veram effigiem humanam referre, & alius cuius felicitatis participes esse velimus, ad eius emulationē, qui proculdubio rerum omnium bonarum est præcipuus & vnicus author. Fieri quidē potest, vt omnes æquè procul non prospiciant, & instrumētis paribus ad res gerendas non vtantur, tamen omne bonum humanū ad illud summum suis gradibus redire debet, sine quo protinus dignitatem suam omnē amittat. Cùm igitur quicunq; aliquid egregiè facere, negotiaq; sua recte velint instituere, speciem quandam perfectissimam operis sibi proponere debeat, ad quam ea quæ facturi sunt, sic omnia referant, vt ad illam quā proximè semper accedat, & cùm humanę vitę tantum vna numeris omnibus absoluta sit imago, cuius virtute reliquę suam omnaem laudem mereantur, ab illa dum vel opinionibus vel moribus deflectimus, necessarium est vt à felicitate turpiter aberremus. Quanquam autem nullis humanę mentis vel acutissimis oculis, incomprehensam Dei sapientiam, per immensos æternitatis tractus nobis liceat intueri, quantum tamen hīc opus fuit, humanis quibusdā lineamentis in libris sacrī, tanquam in tabulis describitur, quas si nos frequenter intueamur, & eos diligenter imitemur, quivt præclarè mētibus eas impresserunt, ita moribus egregie expresserunt, ipse profectō clarissimas rationes rerum omnium bene gerendarum nobis demonstrabunt. Ab ijs vero naturae leges nunquā vel minimum recedere possunt: per naturam intelligo, non istam hominū vitio corruptam, sed quicquid integrum est in ea relictum: hoc autem non in singulis, sed potius in optimis omnibus considerare decet. Quatenus itaq; natura nostra retinuit aliquid indolis primæ, ad vnicum illum felicitatis finē nobis propositum rectā cōtendit. Necessarium autem est, vt ius quoq; gentium cū naturae iure diuinoque consentiat quoniā eandem etiam spectat felicitatem. Lumen æter-

Ee nitatis

## DE REPVB.

nitatis per vniuersam hanc temporariam naturam effunditur, quod nobis semper diuinam illam veritatem ostendit, nisi quatenus materiæ peccatique tenebris offuscatur: tametsi verò tam vehementer propter ingentia plurimaque vitia nostra sit offuscatum, quatenus tamen cernitur, reliquias illius diuini splendoris demonstrat: quòd si in omnibus æque perspicue non cernatur, tamen concordes & veras rerum intelligendarum & agendarum species, licet alias alijs apertiores, animis bonorum offert: illæ saltē quæ sunt insigniter mentibus humanis impressæ, ab omnibus adhuc cernuntur, circa quas naturæ gentiumq; ius præcipue versatur. Ciuale quoq; ius, tametsi multis priuatis circumstantijs est à iure naturæ gentiumque diuersum, tamen ab ijsdem communibus præceptis veritatem suam dicit: idq; est quòd iurisconsultus illud neque à iure naturali gentiumque planè recedere, neque etiam in omnibus illi servire dicit. Ergo nunquam inter se dissentit, sed in vnum planè conueniunt omnes bene positæ leges. Eiusmodi verò consentaneis legibus, tanquam neruis, omnia Reipub. membra sunt in vnum corpus arctè diuincta, sine quibus varijs opinionum & morum dissidijs confestim dissoluntur. Verùm nondum satis est leges esse iustas & conspirantes ad vnum felicitatis communis finem, sed oportet etiam vt, quatenus fieri potest, omnes sint faciles & apertæ. Naturæ quidem gentiumque leges ab omnibus facile possunt cognosci: & diuinæ quoque, quanquam difficiles videantur & obscuræ, lumine gratiæ statim valde perspicue fiunt. Oportebat autem etiam ciuiles clarissimam rerum propositarum veritatem continere. Si dicant tam argutam tamque abstrusam rerum & animorum varietatem explicari perspicue dilucideque non posse, ob id negare nequeunt, quin omnia quām fieri potest clarissimè sint tradenda, & quin tanto maior orationis lux requiratur,

quanto

## LIBER QVARTVS.

106

quantò res sunt magis obscuræ. Prima verò proculdubio perspicuitas orationis est in verbis & eorum recta compositione: quapropter oportet vt legislatores & interpres eius idiomatis, quo leges descripturi & explicaturi sunt, admodum sint periti, & proprietatem vocabulorū ac phrasim diligenter obseruent. Secunda verò præcipuaque difficultas intelligendarum legum sententia tenebris continetur, ad quas discutiendas rationis & tractationis ordo plurimum valet: hic autem cùm disciplinas etiam obscurissimas illustrare possit, quid de iustitiæ veritate dicendum, quæ si non omnium, saltem, vt est apud Ciceronem, optimorum & ingeniosissimorum animis est innata, si modò claris & necessarijs tantum præceptis excitetur, & non potius in tricatis & nimis obruatur. Dum autē nimis curiosè minutissima quæq; sectamur, saepè cum ijs amittimus alia maiora, quibus etiam fuerant illa comprehensa. Illa certè iustitia quam ipsa tanquam natura bonis & perspicuis hominum mentibus inseuit, multò generosior & castior esse videtur, quām ea quæ tam densis tenebris inuoluta est, ac miris technis & laboribus è tam profundis illis cuniculis, intricatis quibusdam formulis, tanq; incantamentis, in lumen euocatur. Atqui Reip. proculdubio non mediocriter interest, vt iustitia quām apertissimè ciuium omnium oculis conspicatur: quod fiet si leges quām maximè attingant sensum communem, quæ præter euidentiam veritatis, vt ad omnes plurimos sue pertinebunt, ita etiam poterunt innumeris negotijs accommodari. Singularia verò, cùm res nunquam pares sint, tantum vni seruiunt, si modò ratiocationem omissamus, quæ quidem etiam ex communibus præceptis est peteda. Quid refert an huius quis vel prouincia vel temporis sit, an illius, quantum ad perpetuam iustitiam, quæ communibus legibus, de quibus nunc agimus, tantum comprehendendi potest: nam singularia inconstantia

Ee 2      sunt,

## DE REPVB.

funt, & propemodum infinita, nec oratione possunt vlla perscribi: communia non adeo multa sunt, & tanquam regulæ quedam omnibus adhibentur. In quibusdā locis per capita succedūt, in alijs verò per stirpes, in quibusdā etiam nepotes excluduntur, & tamen hi debebant vt miseriam, ita partem huius felicitatis à parentibus habere, nec ideo, cùm omnes parem locum obtineant, singuli totam eius portionem obtinere. Apud nōnullas gentes pariter omnes filij succedunt, apud alias maiores natu prēferuntur, & hi quidem priores natura sunt, & ad res gerendas accommodatores, sed tamen interim reliquis tātō magis prospiciendū fuit. Alicubi pro viuīs tributū perfoluēdum est, alibi ve  
rò pro mortuis: sed expēfas oportet potius à bonis externis, q̄ hominibus supputari, vt qui plus habet in Rep. fructus, plus etiam sentiat damni, & qui maiores obtinet honores, maiores etiam sustineat labores. Quanquam autem ex consensu ciuiū cōsuetudines & leges suam autoritatē habet, quemadmodum inquiunt iurisconsulti, & is varius est diuersis temporibus, ingenij & locis, debet nihilominus semper ex eodem iustitiae fonte deduci: & interim tamē ij qui in singularum causarum iudicij versantur, communes rationes rerum negotijs presentibus accōmodare sciant. Alię regiones vel tempora, vel hoc vel illo vitio magis laborant, nam videmus has vel illas herbas, his vel illis temporibus locisue potius prouenire, quapropter interdum luxuriantia coērcenda superuacuaq; refecanda sunt, interdum verò languentia diligenter foueri postulat, sed tamen vna præcipua similiū negotiorum ars est, de qua nunc agimus, quæ communibus scriptis mandari possit, & omnibus locis & temporibus adhiberi, cùm res interim continuo mutentur. In prouincijs populosis danno excluduntur adueniæ, sed in desertis præmijs alliciuntur, quod si illæ defellantur, & istæ premi incipient incolarum multitudine,

nōnne

## LIBER QVARTVS.

107

nōnne fuerit ineptum leges, quæ si prius erant vtiles, nunc perniciose factæ sunt, pertinaciter velle tueri? Oportet vt semper leges circumstantijs præsentibus accommodentur: sed communia veriora, pauciora notioraq; sunt, & quatenus fieri potest, eiūmodi sunt introducendæ leges, vt tamen in singulis causis euidentiam æquitatis & rationem ipsam negotiorum quām proximè demōstrent. Quanquam enim omnium reddi ratio non potest, quemadmodum est apud iurisconsultum, nec etiam s̄pē conducedat in rebus obſcuris inquirendæ veritatis occasiones populo præberi, quanto tamen iustitia certior, tanto securior est administratio ciuitatis. Certam autem iustitiam nō tantum ratio, sed etiam sapientia & authoritas legislatoris redit: nam probabile est à bonis & sapientibus viris vtilesvitæ leges condi, quanquam earum rationes omnibus non sint notæ. Quapropter cùm Deus neminē vñquam fallat, & ad felicissimum finem omnia instituat, inter cæteras certissimæ proculdubio sunt & optimæ, nec admōdum etiam multæ, diuinæ leges, ad quas oportet bonum legislatorem semper intentissimis oculis spectare. Certè nos hīc solidæ iustitiae nullam expressam imaginem tenemus, quemadmodum est apud Ciceronem, sed tantum vtimur eius crassa quadam umbra. Densissimis enim tenebris absita sunt hæc omnia, nisi diuinitus illucescant: hinc potius quām ab humana caligine lumen est petendum: hinc veritas rerum præcipuarum est haurienda, sine qua in magnis erroribus omnes versemur. Nam semina cognitionis, quæ natura nobis inseuit, nullum puræ veritatis fructum proferre possunt, nisi sanctitatis & sacrarum literarum spiritu continēter foueantur. Quapropter meritò primā authoritatem leges diuinæ tenent, secundam quas natura ratioq; cunctis inseuit. Hæ verò perspicuae sunt nec etiam admōdum multæ: & oportet vt ciuiles, quatenus circumstantiarum va-

E e 3 rietas

## DE REPVB.

rietas & obscuritas patitur, ad eas proximiūs accedant. Ergo leges omnes aperte sint & faciles: nec id tantum, sed etiā admodum sint firmæ. Quoniam itaq; secundum iurisconsultos leges communia præcepta sunt, quorum authoritate ciues omnes rectè gubernentur, ideo videmus etiam anti quis legislatoribus priuilegia nunquam vehementer placuisse, & cùm ciuale ius in priuati cuiusquam iniuriam pri uilegia non admittat, siquidem violatur vna cum legibus salus communis quæ illis continetur, nunquā videtur pri uilegijs vllis esse debere locus. Certè cōtra ius diuinum naturæ vel gentium nunquam videmus quicquam esse concessum. Verūm non omnes leges de virtutib; aut vitijs sunt, sed etiam de rebus externis, nec omnes de negotijs quorum euidentem rationem & æquitatē ipsa natura nobis demonstrat, sed de rebus obscuris, quæ vel hoc vel illo modo videri, cumq; temporibus mutari solent: nam vt certum aliquid habeat ciues quod sequātur, oportet vt etiam illa sint à legislatore definita. Atqui & hīc & alibi non tantum temporum & locorum, sed etiam personarum magnū est discriminē. Leges quidem omnes iubent vt vtilitatis publicæ causa faciant aut omittat aliquid ciues: verūm omnes ad res gerendas natura non fecit pares. Itaq; leges communis de ijs negotijs promulgantur, ad quæ ferme parem habemus omnes potestatem. Nam quanquā semper aliquod ciuium discriminē sit, & hi difficultiūs quam alij quippiam agant, leues differentiæ in rebus tam varijs & intricatis animaduerti nō possunt, sed euidentes iam diuersas constitutions requirūt: nec enim milites aut magistratus eadem quæ reliqui ciues & eodē modo facere possunt. Præter leges igitur omnibus ciuib; èquè communes, de ijs scilicet rebus, quæ sunt in omnium nec admodū operosa facultate, necessarium est alias quasdam differentijs hominum accommodari, vt nō tantum quatenus homines, & huius illiusue

celi

## LIBER QVARTVS.

108

cāli loci; ciues Remp. iuuent, sed quatenus propriam ali quam naturam & fortunam habent. Nec enim illis quimā iūibus aut mente carent chirurgica rationisq; negotia sunt imperanda, nec constituendum vt ij qui religionis negotia curant, in militia versentur, nec vt fœmina in publicis rebus suppleat viri locum. Verūm eiusmodi constitutiones non priuilegia, sed priuata leges appellari possunt: nisi quatenus in gratiam aliquorum hominum sunt promulgatæ. Beneficiū autem in aliquos à Rep. collocatum sæpe cum vtilitate publica coniungitur, & eatenus eadē constitutio meretur & legis & priuilegij nomen: legis quidē quatenus omnium vtilitatē spectat, quam omnes ciues debent habere ratam, priuilegij quatenus gratiam continent alicuius priuati. Quicquid autem princeps, legislator aut alius quisimilē potestatem habet ex officio suo statuit, id quidem totum ad vtilitatem pub. semper refertur. Nam tametsi liberè suis rebus frui potest, quatenus principatum tenet & cōmunibus vtitur, semper publicus est illi propositus finis: quod in priuilegijs diligenter est obseruandū, vt semper ob beneficiū aliquod in Remp. cōcedantur: ita legibus priuilegia non repugnabunt, sed cū illis felicitatem quoq; Reip. spectabunt: eorum autem hæc præcipua ratio fuisse videtur. Cū aliquis aliqua in re præter cæteros in Rep. fuerit excellens, qui plus adferat in communem vtilitatem, quam ab eo iustè possit efflagitari, æquitas ipsa postulat, vt pro ijs gratuitis beneficijs, quæ non omnino debebat, à grata Rep. compensationem adipiscatur. Postulat etiam vtilitas communis, cum qua semper æquitas est cōiuncta, vt ignavia ciuium, quæ iam paſsim nimium Resp. grauat, procul arceatur & vt eorum animi eiusmodi illecebri ad res bene gerendas excitentur: ita ciuib; etiam obfacta spemq; propositam priuilegia conceduntur. Melius tamen fecerint, si conscientia sua & vtilitate cōmuni fuerint

## DE REPVB.

rint contenti. Bene de patria merito satis esse debet bene meruisse: si non id, certe benevolentia ciuium & gloria rei bene gestæ. Nam qui contra leges aliquid cupiunt & faciunt, saepè plus quam iuuerant lèdent Rempub. & potius supplicium quam beneficium commerentur. Sed tamē ob causas iam dictas etiam ciuibus priuilegia cōcedi possunt. Exteri verò, qui nihil Reip. debent, ob benefacta maius beneficium merentur, quæ quidē vtilitas ciuitatis omnia certo mensurat, à qua bonus magistratus nunquam mentis oculos deflestat, nisi pariter virtutis officij que sui desertor esse velit. Non tantum autem factis, sed etiam dictis minime lèdi debet vñquā vlla lex, in bene constituta ciuitate, si quidem est verum, quod scriptum est apud Platonem, eam inuentionem esse veritatis, sine qua nec publicam vtilitatem cognoscat quis; nec etiam si cognoscat ferme sequi velit, & eam animam esse ciuitatis, & eximium quoddam Dei donum. Nō qui leges violant patriam tantum lèdūt, sed etiam Deo magnam iniuriam faciunt, cuius singulari beneficentia nobis sunt datae. Certè sine magno Reip. periculo contra publica non potest rectè concedi vlla priuata potestas: idq; est quod dicit idem ille Philosophus, magis esse firmam ciuitatē eam, in qua sunt imperitiores ij, quorum confilio non est opus ad Reip. gubernationem: non enim tanta cōtradicendi cupiditate tenentur, qua multas antiquas Resp. concidisse legimus, & rerum nostrarum statum nō mediocriter labefactari videmus. Sanè necessarium est maximorum tumultuum occasionem præberi nobis, qui tamen pacem & tranquillitatē summopere sequi debemus, si quisq; de Rebusp. non tantum priuatim iudicare, sed & decernere possit & promulgare. Nos ergo mutare non possumus, quæ maiore sunt authoritate cōstituta, sed si qua non optima videantur, optare possumus & debemus, vt eadem authoritate restituantur; nec tamen nos de-

cet

## LIBER QVARTVS.

109

Cet esse faciles etiam ad publicā legum innovationē, si quidem verum est quod scriptum reperitur à Thucidide, meliorem esse ciuitatis statum, quæ licet deterioribus, firmis tamen legibus vtitur, quam eius, quæ bonis quidem, sed quæ perinde non obseruentur: non autem dici potest eas bene seruari, quæ suam firmitudinem non habent: idem sane comprobare videtur etiam Aristoteles, dum in obseruatione longa, quam frequens mutatio continuò frangit, eas virtutem suam præcipuam habere dicit. Sed tamē cū leges Reip. non autem Resp. legibus accōmodetur, cumq; res & homines continuò mutentur, nec legislator impera fortunæ possit, nullæ leges ciuiles esse possunt æternæ. Quapropter summa quadam sapientia opus est, qua cognoscamus quid postulet emendari, vel etiam immutari, vt autoritate publica, quæ tamen à priuatis initijs incitari saepè potest, quæuis malorū occasiones, modò sint evidentes, etiam leuissime quoque recognoscantur & de medio tollantur ab ijs qui legum potestatem habēt. Nam & corpus leuissimas quasq; ob causas in acerbissimos morbos & mortes incidisse, & multas Resp. miserrimè corruisse videntur, & ideo principijs etiam minimis diligentissimè semper est occurrentum. Ita plurimos à leuibus & interdum probabilibus initijs, eò tandem progressos esse cernimus, vt eorum errores potius indignatione prosequi, quam resipiscientiam vllā expectare posse videamur. Frustra nempe riuos obstruimus, si fontes interim laxemus: radices potius, & statim quidem, euellendę sunt, quam herbę noxię conculcandę: nam facile tam profundē serpunt, vt vix dum possint extirpari, bonę verò difficile crescere facileq; marcescere solent, nisi præceptis virtutis sedulò foueātur, tum à viris sapientibus adinuētis, tum præcipue nobis diuinus datis. Sequamur igitur sacrā in omnibus authoritatē, & ad eius normam cōponamus tum priuata tum publica,

Ff dilig-

## DE REPVB.

diligenter considerantes rerum & animorum naturam, & quam optimas atq; clarissimas & etiā firmissimas leges habeamus, quibus tales viri præsint, qui castitate prudetiaq;, si quid aliquando desit, egregie suppleant: nam si iudices incorrupti sint, facile multarum legum necessitatem excludent, perfidis vero multitudo difficultasq; promptam occasionem exercendæ fraudis præbebit. Itaque veteres optimi legislatores, cùm non ignorarent apertissima quæq; veritate maximè referre, paucas quidē, sed optimas esse sibi leges promulgadas putarūt. Sed quanq; optimis legibus vtaur Resp. & ipsa tota q; optimè sit cōstituta, nulla tamē esse poterit vñq; in ipsis rebus humanis æterna, quod quidē P. Scipio nō ignorabat, qui dū Carthago deleretur, fleuisse di-

**Mutatio  
nes rerū  
pub.** citur, quod nullū imperiū, ne Romanū quidem, esset longeum. Causam autē mutationis Rerū pub. affert in Rep. sua Plato, sed altius repetitam & obscuriorem, q; vt latius hoc loco fit explicanda: at eius tamen viri sensum breuiter hīc cattingere libet. Putat ille, quod etiā verissimū est, vt reliqua cuncta, sic & Resp. suis quibusdam analogijs cōstare, nec in his rebus humanis aliquid vñq; firmum & perpetuum esse posse, vnde necesse sit, numeros cuiuscūq; cōiunctio- nis cōtinuò mutari. Ea quæ cōiunguntur in Rep. sunt ingenia ciuium & voluntates, quæ se ferme accōmodant conditionibus humanæ corporaturæ. Humanæ vero corporatura, totius naturæ vicibus paret, qui circuitu corporū cælestium gubernantur. Cùm autem hic continuò diuersus sit, fit vt ingenia nunq; vel paria sint vel inter se cōueniant eodem modo: ingenia inquā, tum ciuium tum finitimorū, qui nostram Remp. vel iuuare vel lādere possunt. Ita qui illis temporibus animosi fuerant, alijs effeminati redduntur, & qui nunc bene coniunguntur, mutatis corporibus & animis incipiunt non bene conuenire, cumq; modum excesserint, necessarium est vt dissipentur tandem, & in mutuam

## LIBER QVARTVS.

110

mutuam perniciem ruant. Sic videmus in reliqua natura quendam esse compositionis modum, cuius excessus presentaneum interitū rebus omnibus secum apportet. Qua propter oportet vt Reipub. conseruatores ingenia ciuium & eorum analogias omnes exactè cognoscant, & eas in deteriorius vergere nunq; sinant, sed vt potius in meliorem aliquam & firmiorem constitutionem transferant, quod sine cognitione motuum totius naturæ nunquam poterūt egregie præstare. Cùm autem eò, præsertim rerum externarum abundātia, peruererit Respub. vt in melius proficere non possit, tum videtur Plato statum eius suspectissimum habere, idq; nobis per solidos numeros eorum quæ iustis analogijs constabat nobis significare, qui iam adepti sunt summum suum incrementum. Certè medici talem corporis humani constitutionem non laudant, quæ melior fieri nequeat, quod necesse sit, cū nunq; res. humanæ quiescat, vt in deteriorius vergat: & ideo aliquid detrahī iubent, quo sit aliquid rebus bonis accedētibus locus, quod quomodo fieri debeat in Rebus sp. cognoscere magnē cuiusdā est prudetiae, latiusq; patet, quam vt hoc loco debeat explicari: speramus nobis aliquando tempus datum iri, quo res maximas, sine quibus hæc quæ nunc tradimus cognosci nequeunt, pleniū consideremus. Nunc autem breuiter mutandarum Rerump. alias nonnullas causas afferemus: vna vero non minima est, quod semper præsens rerum status, vt est apud Thucididem, subditis solet esse molestus. Cùm enim semper plus mali quam boni sit in rebus humanis, & præsens dolor evidentior sit quam futurus, illi qui causas & exitus rerum non satis intelligunt, malunt grauioris alii cuius fortunæ periculum accersire, q; præsentem conditio- nem suā æquo animo ferre. Deinde principes ipsi, cùm se- pe plurimis & maximis vijs laborent, ipsi magnas occasio- nes euertendarum aut immutandarū saltē ciuitatū præbēt,

Ff 2 certè

## DE REPVB.

certe vnius viri, præfertim principis, peccatum sæpe tota Resp. luit, vt rectè est apud principes poëtarum Hefiodum & Homerum scriptum, & est etiam in numeris veterū exemplis comprobatum. Multos luxus perdidit vt Troiam, Tarquinium, Sardanapalum, decemuiratum Romanum: sic etiam in sacris literis legimus Dauidem suorū clade pœnam dedisse, & hoc vitio duas integras ciuitates funditus euersas esse. Temeritas Croësum, puniédi negligentia Philippum Macedonem, Rhenum discordia, Pompeium inuidia, Roboam exigendæ pecuniæ libido perdidit: deniq; singula principum vitia plurimas ciuitates euerterunt: ipsa certe tyrannis non potest vniquam esse longæua. Nā quomodo plurimi ciues, inter quos multi fortes & animo generoso sunt, ferant diu vnius perdit iñiquissimum imperium, cum suo maximo dedecore & detimento: quomo<sup>d</sup>do etiam diu sustineat rem tam magnam & arduam, qui propter vitia abiectissimum naturæ locum tenet, & iustitiam continuò violat, cuius viribus Resp. constant. Verū tamen hæc non statim in monarchiam, sed potius in aliud Reip. genus commutatur. Tales enim sæpe subditi sunt, quales sunt reges: & ideo vnius tyrānis aut in multorū aut omnium tyrannidem transit, aut si populus vel natura, vel experimentis malorum, aut alijs de causis melior sit, in politiam: si verò nonnulli sint inter alios insignes in ciuitate in Aristocratiam facilimè commutatur. Maximè verò timent vnum qui sunt ab uno multum damnum perpesi, & ob id etiam difficile diximus restitui collapsam monarchiam. Ex Oligarchijs tyrannides & ex his Democratiæ facile fiunt. Multis etiam Rebusp. ciuium improbitas exitio fuit. Innumeræ quidem causas mutandæ Reip. sed nullas ferme laudabiles inuenire licet. Itaq; legimus in sacris literis, Deum fuisse Iudæis infensum, dum Regem peterent, non quod monarchiam non approbaret, sed quod etiam illam

## LIBER QVARTVS.

ii

illam immutationē ægrè ferret. Nihil autem magis ad conseruationem Reip. & aliarum rerum omnium valet, siquidem Aristoteli veritatq; fides est adhibenda, quam si initia mutationis, etiam leuisima quæq; sedulò tollantur, & inter cetera præcipuæ causæ seditionis, quæ procul dubio Rempub. vehementissimè frequentissimeq; ledunt. Comouentur autem seditiones iniurijs, præfertim eorum qui plurimum possunt in ciuitate, deinde, quemadmodum inquit idem Philosophus, eorum inæqualitate qui debent esse pares, quod quidem iniuitate legum fieri solet, si non distribuant, scilicet singulis secundum eam analogiam, de qua est antea dictum. Hac autem nō omnes parem, sed alijs alij superiorem aliquem, & etiam aliqui summum locū tenēt, quos nos principes ciuitatis appellamus. Oportet autem vt hi, si modò suum imperiū conseruaturi sunt, inter reliquos potentissimi sint, ac plurimos & potentissimos habeant amicos, quoniam Remp. sæpe presens metus tuetur: oportet vt nemini aliquam regnandi spem prebeant, quoniam, vt est apud Euripidem, nihil est quod homines, præfertim magnanimos, ad omne nefas magis impellere posse: oportet etiam, vt nec inuidia populi, nec indignatione laborēt, & ab iniustitia præcipue abstineat: denique opus est, vt propter virtutes ametur, propter potentiam à malis timeantur, qui firmum principatum cupiunt obtinere. In ijs autem Rebusp. in quibus multi imperant, cauendum est ne fiant exercitus duces illi, qui Remp. facile occupare queant, quemadmodum de Pericle, Augusto, & alijs multis legimus, deinde ne diuturni sint principatus: sic enim, inquit Aristoteles, perpetui fieri solet. In Democracy, quoniam ciuium equabilitas est, & officia cōmu ni consensu constituuntur, Philanthropia præcipuum locū habet: in Aristocracia verò plurimum valet, vt etiā in reliquis omnibus, Eutaxia. Curandum ne inferiores quia liberi

Ff 3

se pa-

## DE REPVB.

se pares iudicent, & ne illi qui diuines, ob id se putent supē  
riores, sed vt æquabilitas vbiq; seruetur. Recte monet etiā  
Aristoteles obseruandum, vt si ab optimo suo statu Resp.  
declinet, ab ea vitiorum parte semper retrahatur, in quam  
vergit; & vt firmus sit eorum qui sustinent Remp. consen-  
sus: nam amicitia maximum obtinet in rebus omnibus mo-  
mentum, nullumq; maius malum in Rep. quemadmodū  
nec in alijs omnibus, quām quod eam diuidit, inueniri po-  
test, vt recte Plato scribit. Quod si Reges præcipuis ciuibus  
amici sint, nemo poterit eos de dignitate sua disturbare: si  
plures in Rep. principes sint; primum etiam inter se cumq;  
suis bene conueniant: si omnes æquabiliter per vices impe-  
rent, quod in politia fieri consuevit, omnium aut plurimo  
rū consensus firmiter per amicitiam sit deuinctus. Verū  
non tantū ab internis causis, sed ab hostibus externis, de  
quibus antea diximus, Resp. mutatur & euertitur, & om-  
nibus quidem diligenter prospiciendum est, præsertim ijs  
temporibus, quibus plus periculi nobis imminere videtur,  
quod examinatione nostrarū exteriarūq; rerū facile depre-  
hendi potest. Deinde cū tota natura rerū sibi cōsentanea  
sit, ac ijsdē causis effectā multa sua serie respondeant, & ho-  
minū etiā animi ferè cū elementorū motu rapiantur, signa  
frequenter præcedere solēt, quemadmodū Herodotus scri-  
bit, quoties magna mala genti ciuitatiue alicui imminent,  
quaē dum viri prudentes animaduertunt, quoniam mens  
bene formata rebus superior est, remedii calamitatibus im-  
minentibus inueniunt aut lenimentum, vt si tota Resp. in  
suō statu conseruari nequeat, aliquam potius immutatio-  
nem admittat, quām vt tota prosternatur: nō enim tā perti-  
naces esse debemus, vt dum partem aliquā tueri volumus,  
interim totum vel per bella vel per seditionē amittamus,  
quod plurimis ciuitatibus accidisse videmus, quarū histo-  
ria longior & notior est, quām vt hoc loco sit proferenda.

F I N I S.